

MARRASIO (Giovanni)

CARMINA (2008 vers)

(Les astérisques encadrent des pièces adressées à Marrasio.)

MAFFEI VEGGII LAUDENSIS AD MARRASIUM SICULUM.

C_1A v.1 Musa, age, sopitas in carmina concipe vires
 2 ingeniumque tepens, pulcher Apollo, move.
 3 Pauca canam nostro vati quem vulnera flentem
 4 saeva pharetrato vidimus acta deo.
 5 Ille est Marrasius, quem nostro Antonius aevo
 6 clara Panhormigenae gloria gentis amat.
 7 Vade, age, vade ; suos solabere, Musa, dolores ;
 8 hoc primum nostri pignus amoris erit.
 9 Fac etiam ut teneas nostri mandata Catonis,
 10 scilicet hunc salvum nomine adire suo.

MAFFEI VEGGII CARMEN AD MARRASIUM SICULUM PRO ANGELINA.

C_1B v.1 Quid quereris, quid te tanto maerore fatigas,
 2 spes mea, blanditiae deliciaeque meae ?
 3 Quid gemis et totiens singultus pectora rumpunt ?
 4 Quid lacrimis totiens lumina maesta madent ?
 5 Sume animos, lux nostra, animae pars altera nostrae,
 6 qui vitae arbitrium mortis et unus habes.
 7 Sume, age, sume animos, o vita dulcior, o mi
 8 dulcis amor vita carior ipse mea,
 9 pone modum lacrimis, tantos compesce dolores ;
 10 Angelina rogat : quod rogat obsequere.
 11 Heu miseram ! Quot dura pii patiuntur amantes !
 12 Quantus in insano regnat amore dolor !
 13 Quanta est credulitas tenero sub amore, quot ignes !
 14 Quam multi gemitus quantaque cura latet !
 15 Quis mihi tunc animus, quom te crudelia vidi
 16 facturum in Gaio funera fonte legens ?
 17 Nec mihi mens, nec vita fuit ; labefacta pererrans
 18 ossa tremor corpus debile pressit humo.
 19 Pectus erat sine mente, caput sine voce, nec ullus,
 20 hei mihi, in exsangu corpore sensus erat.
 21 Utque animi rediere, dolor rediere pavorque ;
 22 percussit teneras utraque palma genas.
 23 Vix tenui duro foderem quin pectora ferro
 24 et fieret nostro sanguine turpis humus :
 25 fecissem aut tristi fregissem colla capistro,
 26 ni tuus ardentem me tenuisset amor.
 27 Ah ! Pudet et dicam : "Quae tanta insania mentem
 28 cepit, ut optares me sine velle mori ?
 29 Debuerat saltem, si te tua vita salusque

30 non moveat, vitae tangere cura meae.
 31 Dii melius fecere ! Tuo si sanguine Gaius
 32 forte cruentatas fons habuisset aquas,
 33 ipsa ego, nulla mora est, eadem per vulnera praeceps
 34 foedassem lymphas saucia ab ense suas.
 35 Atque ut vos quondam fidi cecidistis amantes,
 36 quorum purpureo mota cruore rubent,
 37 sic fuerat nobis aequali morte cadendum :
 38 exstinctos arbor texerat una duos,
 39 fons unusque duos trajectos ense tulisset
 40 et quae nunc vitrea est nunc aqua nigra foret.
 41 Vos etiam ut semper memori vivetis in aevo,
 42 sic nostrae mortis viveret altus honos.
 43 Haec quoque marmoribus posuissem carmina nostris,
 44 quae caneret molli quilibet ore legens :
 45 "Marrasius propria periire atque Angela dextra ;
 46 consumpti cineres hic posuere suos."
 47 Perge ergo ut valeas, vitae spes unica nostrae :
 48 si valeas, nostrae causa salutis eris.
 49 Nonne es tu ille meus quo non mihi carior ullus,
 50 Marrasius Siculo vectus ab orbe meus ?
 51 Ille es qui tepidos movisti solus amores,
 52 ille es flammatas qui geris ore faces,
 53 quem quotiens video, totiens incensa videndo
 54 delicias videor laeta videre meas.
 55 Ante tuos vultus posuit sua castra Cupido
 56 deque tuis oculis spicula jacta volant.
 57 Quae non arderet saevis truculentior ursis,
 58 esset et irato surdior illa freto.
 59 Ferrea non ego sum neque sum de tigride nata,
 60 at placidus sanguis nobile corpus alit ;
 61 nec te crediderim rapidos genuisse leones,
 62 nec rigidum fixo corde adamanta geris.
 63 Te clari exornant mores, te vivida virtus,
 64 te decor atque altae nobilitatis honos.
 65 Et tibi frons laeta est et amica virentibus annis
 66 ingenuusque tuo splendor in ore sedet.
 67 Illa gerit silices et clauso in pectore ferrum,
 68 quae talem imprudens nescit amare virum.
 69 Cetera praetereo, sed me tua sancta poesis
 70 movit et ardentes misit in ore faces.
 71 Illa animum miro tepidum succendit amore :
 72 saeva pharetrati sentio tela dei.
 73 Numen inest cunctis et mens divina poetis,
 74 non laedit vates si movet ira Jovem ;
 75 quicquid habent celebres a diis cepere poetae,
 76 quicquid agant sanctis vatibus astra favent.
 77 Quod cupiunt docti divorum munere vates
 78 efficiunt ; superos in sua vota trahunt.
 79 Allicit ut reliquos teneras sic Musa puellas ;
 80 si nolint, summus Juppiter ipse jubet.
 81 Tutius est sanctos celebres et amare poetas :
 82 cautius hi sapiunt quid sub amore latet.
 83 Cetera turba ferat cupidas in proelia dextras,
 84 vomere scindat humum vel mare navigiis.
 85 Hoc proprium est vatum, propria est haec cura deorum,

86 quid sapit ardentem inscia turba focos ?
 87 At quia tu nostram potuisti innectere mentem,
 88 laetor in ingenio, clare poeta, tuo.
 89 Ut quondam Gallo placuit sua blanda Lycoris
 90 Lesbiaque, ut fertur, grata, Catulle, tibi ;
 91 ut fuit Ovidii cantata Corinna, Properti
 92 Cynthia et ut Nemesis pulchra, Tibulle, tua ;
 93 sic ego Marrasii ferar Angelina Sicani,
 94 aeternumque tuo carmine nomen erit.
 95 Hoc unum superest, ut me miseratus amantem
 96 excipias nostros in tua jura sinus.
 97 Tu me ardere facis, tu me languere furentem :
 98 causa meae vitae causaque mortis eris ;
 99 tu nostrum sidus, tu gloria nostra perennis,
 100 omnia tu nostrae jura salutis habes ;
 101 forsitan obducens mihi frontem et lumina fingo
 102 interdum vultus nolle videre tuos.
 103 Rectius id factum est meque ipsam cauta repressi,
 104 ut lateant vulgus crimina nostra loquax.
 105 Forma fuit teneris semper suspecta puellis,
 106 blanda nocet sanctae forma pudicitiae.
 107 Verum, si qua sapit, quod amat sapientius ardet ;
 108 saepe quod optaret docta puella negat.
 109 Nunc ego per nostrum qui nos flammavit amorem
 110 te rogo perque alti regia celsa Jovis
 111 hanc tueare animam quae in te conversa profundit
 112 "quotquot habet blandas, magne poeta, preces".

MARRASII RESPONSIO AD MAFFEUM VEGGIUM.

C_1 v.1 Maestus eram ; veniunt ad me tua carmina, Veggi,
 2 excutiuntque meum dulcia verba metum.
 3 Et decies postquam et totiens tua dicta relegi
 4 et quom terdecies, tunc placuere magis.
 5 Namque lyra et fidibus nostrum venere Camenae
 6 ad thalamum, cithara venit Apollo tua ;
 7 et cecinit nivea vestitus pectora veste
 8 pexit et auricomum lucidus arte caput,
 9 quamvis incomptis solet errabunda capillis
 10 tempora et incultas undique ferre comas ;
 11 et cecinere tuum, Phoebos saltante, sorores
 12 carmen et alternis saltibus ille canit.
 13 Splendida post sequitur coetum Angelina dearum
 14 (splendidior cunctis ipsa deabus erat)
 15 et gemitum et luctus et quem sufferre dolorem
 16 vix poteram excussit carmine sola tuo.
 17 Tale tuum carmen, quo me solatus amantem es,
 18 quale fuit, dixit : "Sicilis esse volo".
 19 Angela vera fuit, sed non persona locuta
 20 ulla fuit, quamvis Angela ficta fuit.
 21 Hos inter cantus subito moribunda resurgunt
 22 pectora, deinde abiit pallidus ore color ;
 23 non minor et nostro datur his medicina labori
 24 quam data Romuleis quaeque Sabina fuit.

25 Praeterea ante oculos posuit tua Musa Catonem
 26 et te, quem pedibus sola elegia premit.
 27 Antoni vatis divino carmine laeti
 28 aeternam famam saecula futura colent :
 29 Ovidii eloquium nec te, lascive Properti,
 30 horrescit, nec si vivus uterque foret.
 31 Ante alios alium ponunt sua jura, Catonem,
 32 quem Lex et Musae et sancta Poesis amant.
 33 Magna tuis calamis referatur gratia, Veggi :
 34 namque ego servatus carmine teque fui.
 35 Dii te perpetuent, cuncta et per saecula laetum
 36 reddant, sint vitae stamina longa tuae
 37 et neu frigescant vires ; mihi mixte Thalam
 38 cum cithara et cantu carminibusque tuis.

RESPONSIO AD LEONARDUM ARRETINUM DE LAUDIBUS ET NUMINE GAII FONTIS.

C_2 v.1 Non opus est Scythicum senibus disquirere fontem,
 2 quo sub demersis prima juvenia redit.
 3 Siccus apud Scythiam per saxa latentia repit,
 4 funditat et lymphas ante Senense forum.
 5 Hic situs in media fons est argenteus urbe
 6 et tumulus vivis ossibus ille meis.
 7 Phoebus ab Eoo roseas quom solvit habenas
 8 mane, videt Gai lumine fontis aquas.
 9 Quaecumque hos latices haurit, quaecumque liquores,
 10 et calet in primis et juvenescit anus.
 11 Vidi ego, Nestoreos qui jam transiverat annos,
 12 submersum juvenis membra referre senem.
 13 Sed si forte meis tete juvenescere sentis
 14 versibus, his lymphis uda papyrus erat :
 15 non versus fecere mei, nec inepta poesis,
 16 sed quibus aspersus saepe libellus aquis.
 17 Fons hic exornat juvenes urbemque Senensem ;
 18 numen habet : laqueos, retia, mella, jocos,
 19 sanguineos arcus, pharetram flammasque, sagittas
 20 deposuit Gaio candida fonte Venus.
 21 Hac satus ulterius nec vult volitare per auras :
 22 exuit hic pennas deposuitque faces ;
 23 per tures tantum volitat nec moenia nostra
 24 egreditur ; fessus fonte Cupido sedet.
 25 Argentes ardent et sunt in amore furentes,
 26 quam primum biberint pocula dulcis aquae.
 27 Huc, Leonarde, veni, sacros hausture liquores :
 28 sic juvenis fies, sic in amore furens.
 29 Postquam marmoribus gelidoque in fonte resedi,
 30 plena fuere mihi corda furore gravi.
 31 Vellem divini raperent mea corda furores
 32 ad quos me hortaris, dive poeta, tuos.
 33 Sed ne intemperiae dubito mea pectora vexent,
 34 ridiculum ut dicar qualibet urbe caput.
 35 Si manifesta meam rapiet vesania mentem,
 36 prima salus gelido mergere fonte comas.
 37 Nam quem Gorgoneum primo appellare poetae,
 38 hunc fontem Gaium tempora nostra vocant.

39 Cruda voluptatis si quid mea verba tulerunt,
 40 carminibus nostris si qua libido fuit,
 41 laus omnis Veneri detur, omnis gloria fonti :
 42 quos cecini versus, hos mihi dictat aqua.
 43 Quid tibi collibuit me inter numerare Tibullos ?
 44 Credo meas nugas captus amore probes.
 45 Si te ego descripsi priscos superare poetas,
 46 me, licet immensus, numquam fefellit amor ;
 47 nec quia laudarit decepta est lingua, sed illa
 48 nescivit laudes, accumulare tuas.
 49 Postremo, ne longa trahar per devia, sacros
 50 hic superat fontes numine, melle, joco.
 51 Huc, Leonarde, veni, suaves hausture liquores :
 52 sic juvenis fies, sic in amore furens.

HECATOMBE AD KAROLUM ARRETINUM.

C_3 v.1 Credebam Gaios latices coluisse Camenas,
 2 solum quae canerent impare dicta sono ;
 3 horrendas acies horrendaque proelia cerno,
 4 Karole, quae dictas his madefactus aquis.
 5 Armatae veniunt, mirum est, e fonte sorores,
 6 intrant et thalamum splendida turba meum.
 7 Secum blanditias lascivaque verba ferebant
 8 otiaque et plausus deliciasque prius :
 9 consuevere comas niveis ornare ligustris,
 10 cingebat frontem fulva corona suam ;
 11 consuevere caput viridi connectere oliva,
 12 stabat et auratis vestibibus arte nitor ;
 13 aurea per flavos serpebat spira capillos,
 14 ornabat nitidas candida gemma manus.
 15 Nunc clipeos hastasque ferunt parmamque sudemque
 16 pilaque ; sunt manibus tela verenda suis.
 17 Carmen voce gravi meme offendere canentem
 18 ranarum et murum bella timenda Jovi.
 19 Dum legerem timui Meridarpaga Borborophontes :
 20 ut timeam major sollicitudo fuit.
 21 Obstupui medius galeata per agmina murum :
 22 territus hinc ranis, inde deabus eram.
 23 Nec me interpellant nymphae tua dicta legentem ;
 24 talia perlectis una locuta fuit :
 25 "Karolus udus aquis et nostro numine dignus
 26 pollicitus centum est caedere rite boves.
 27 Bos ubi centenus ? Quando centena dabuntur
 28 munera ? Vota dei persoluenda volunt.
 29 Ipse boves habeat centum totidemque capellas
 30 atque sua irroret jugera sola Tagus.
 31 Nos volumus cantet titulos et numina nostra,
 32 quom testudineam pulsat Apollo lyram.
 33 Centum elegos faciat, centena poemata nobis
 34 poscat et accipiet grandia dona sinu."
 35 "Accipite hos, dixi, seque hoc absolvite voto :
 36 centum elegos pro se composuisse libet."
 37 Illa refert : "Sua sunt gratissima carmina nobis,
 38 sunt et Apollineis illa canenda sonis.

39 Lauro ornandus erit, nisi sit quodserta corymbis
 40 laurea nique hederis vincat honore comas."
 41 Inde abiere omnes et me sibi multa volentem
 42 quaerere destituunt diffugiuntque torum.
 43 Centum elegos una petierunt voce puellae ;
 44 centum elegos placida scribere mente velis.
 45 Karole, rivus aquae manat qui fonte Senensi
 46 nec tibi nec cuiquam despiciendus eat.
 47 Tarquinii conjunx Gaios libasse liquores
 48 fertur et ante alias facta puella proba est ;
 49 hinc proba quaeque fuit primaeva aetate puella
 50 et Tanaquil primo Gaia vocata fuit.
 51 Hunc Gaium vocitant certe a probitate sororum
 52 fontem, quem celebrant numina sacra novem.
 53 Karole, crede mihi, non haec sententia nostra est :
 54 quae cecini foliis verba Sibylla dedit.
 55 Obsequere interea, quamvis tua carmina Homerum
 56 spirant et quamvis numen Homerus habet.
 57 Namque polita nimis nimis et limata fuere
 58 carmina Phoebeco suscipienda sinu.
 59 Certant Virgilio, sunt et certantia Homeri
 60 versibus et certant si qua Tibullus habet.
 61 Sive Helicone tui fundantur saepe capilli,
 62 sive caballina sparserit unda pedes,
 63 seu juga Parnasi spatiere per ardua montis,
 64 sive per Ascraeos iveris ipse lacus,
 65 sive habites villas aut florea rura pererres,
 66 sive suburbanas legeris arte rosas,
 67 sive ubicumque velis requiescere, protinus illuc
 68 adveniet celeri quaeque Thalia pede,
 69 ut timeam Gaio repetant te fonte relicto
 70 atque habitent pectus turba decora tuum.
 71 Musas nec metuas, nam si te linquere vellent
 72 et Phoebus fugeret, te Nicolaus amat :
 73 hic habet et Musas et mille poemata, mille
 74 historias, priscos et bene noscit avos.
 75 Eia agites, postquam cecinisti parva sub antro
 76 Maeonio, Antiphaten ! Eia Cyclopa agites !
 77 Non facile est clarum quicquam componere, siquis
 78 neglexit primo scribere velle jocos.
 79 Non pelagi tumidos fluctus secuisset Iason,
 80 is nisi per tenues saepius isset aquas ;
 81 qui postquam medium sulcavit nauta profundum,
 82 auratae ad patriam vellera vexit ovis.
 83 Cortice populeo ni sese armasset Achilles,
 84 fixisset timidas ni prius ille feras,
 85 Vulcani tam magna humeris numquam arma tulisset,
 86 sanguine ab Hectoreo nec rubuisset humus.
 87 Muribus et ranis nisi praeluisset Homerus
 88 Iliadi, magnum non cecinisset opus.
 89 Et postquam eloquio cantasti parva rotundo,
 90 adgrederere aeternam, te precor, Iliadem.
 91 Ulterius proprias non vult errare per urbes
 92 Maeonides, Tuscas vult habitare domos.
 93 Ilias, antiqui quam nescivere poetae
 94 transferre et Latiis edere quippe novam,

95 mavult in linguam per te migrare Latinam
 96 quam velit Argolicas nunc habitare casas.
 97 Te petit iste labor, tibi gloria summa relicta est
 98 sitque humeris validis sarcina grata tuis.
 99 Sed prius his nymphis placida parere decorum est
 100 mente : fac extollas nomen ad astra suum.
 101 Centum elegos una petierunt voce puellae ;
 102 centum elegos placida scribere mente velis.

AD ANGELINAM CORNELIANAM UT CORNELIO INDULGEAT OB PESTEM SENAS FUGIENTI.

C_4 v.1 Cornelius, dirae pavidus formidine pestis,
 2 se miserum ! Dixit : "Terra beata vale !
 3 Angelina vale tuque o formosa valet
 4 Eva et convaleant gaudia nostra Senae ! "
 5 Cornelius mortem fugitat, non ut sibi vita
 6 carior est oculis, Angela pulchra, tuis.
 7 Se cruciat fugiens et te te hac lege relinquit :
 8 quam primum salvas velle redire Senas.
 9 Angela, candentes libeat mactare juvencos
 10 atque boves aris multaque thura crema.
 11 Cornelius salvus redeat vivatque saluber ;
 12 Cornelio salvus sospite semper ero.
 13 Ut tibi servetur, te, Cornelianam, relinquit ;
 14 tuta manes : nullo tempore numen obit.
 15 Vive, puella, annos ut Nestora vincere possis,
 16 vincas Tithonum et Laomedontiaden.
 17 Et postquam totidem tu, lux tua, vixeris annos.
 18 Non maculet roseam foeda senecta cutim
 19 et niveis semper sint candidiora ligustris
 20 pectora, sit semper Cornelianus amor.

AD EVAM PRO SABINO SICULO

C_5 v.1 Eva, vale, quondam mea lux, mea vita, voluptas ;
 2 Cornelius valeat, fidus ubique comes.
 3 Servus eram laqueosque tuos et vincula solvo,
 4 ut pedibus collum nulla puella premat.

AD MARGARAM UT FABRITIUM REDAMET ET GRIFO SICULO IN AMORE NON RESPONDEAT

C_6 v.1 Margara, siquis erit merito tibi dignus amari,
 2 Fabritius cunctis antefendus erit.
 3 Omnibus ex rebus sunt elicienda vetustis
 4 quattuor, et praestant rebus honore novis.
 5 Primum erit ex illis, quem flexo poplite adores,
 6 qui laqueo illaqueat colla fugacis, Amor.
 7 Consule Fabritium et tu nosces cetera, namque
 8 dimidiam nostri detinet ille animam.
 9 Pone novum et veterem repetas dulcedine amorem :
 10 cantabunt laudes carmina nostra tuas.

AD EVAM PRO SABINO SUO

C_7 v.1 Esset apud Latias formosior Eva puellas,
 2 pectora ni glacie frigidiora forent.
 3 Argentem video sese noctuque dieque
 4 et friget quotiens itque reditque via.
 5 Ignibus Aetnaeis majores pectore flammam
 6 ardentesque faces corde Sabinus habet.
 7 Frigida, quid dubitas manibus dirumpere pectus ?
 8 Carior est facies, quam sibi vita, tua.

AD EVAM PUELLAM PRO SABINO SUO

C_8 v.1 "Postquam limato jecisti spicula ferro,
 2 audes "Quis moritur ? " dicere cruda mihi.
 3 Quis moritur ? Pulchrae moritur dilector Evae.
 4 Te miseram ! Mortem Siciliensis obit.
 5 Mortuus hoc tumulo tam dira morte Sabinus
 6 claudetur ; lacrimis funera flebo meis."
 7 "Si lacrimis te flere juvat me claudier isto
 8 marmore, ut aeternum nox premet una duos.
 9 Aut ego cum lacrimis animam revocabo Sabini,
 10 postquam jungam nostra labella suis,
 11 aut superincumbens moriar consumpta dolore
 12 et quem non vivens mortua habeo virum."

AD PETRUM VICTORINUM PRO FABRITIO SVAE ANIMAE DIMIDIO

C_9 v.1 Si majore opera celebres clarosque poetas
 2 aut elegos coleres, doctior ipse fores.
 3 Vellem te Musis dulces adhibere labores ;
 4 cures ingenium nobilitare tuum.
 5 Aeterni vates, aeterno carmine laeti,
 6 aeternam famam saecula cuncta tenent.
 7 Sed si alio te ducit amor et pectora torquet,
 8 si illaqueat mentem pulchra puella tuam,
 9 ut facilem reddas versu nugeris amantem
 10 et dominam flectes calliditate metri.
 11 Omnis carminibus donata est, Petre, potestas :
 12 mitescunt duri saxea corda viri.
 13 Si tamen aeternos velles conscribere versus,
 14 Virgilium ante oculos nocte dieque tene ;
 15 si tu lascivas velles vocitare Camenas,
 16 Nasonis primo sit tibi nota domus.

AD BARNABAM STUDIA HUMANITATIS DESERERE VOLENTEM

C_10 v.1 Qua monitus fueras mihi dulcis epistola ad aures
 2 venit, ab ornatis verba legenda viris.
 3 Scriptum erat in primis : "Barnabeu, trado salutem
 4 ad te ego Petrucius, comis amice, meam."
 5 Non dubito is faciet limato te atque vetusto
 6 eloquio ad priscam protinus ire viam.

7 Flecteret immitem quo quondam capta noverca est,
 8 Hippolytum Phaedra et mortua nulla foret.
 9 Si Phalaris quemquam vellet comburere tauro,
 10 voce sua accensum exstingueret ante focum.
 11 Proposito affixos poterit deflectere divos
 12 deque tuis humeris solvere, Phoebe, lyram.
 13 Sed risu dignam volui prius ipse fabellam
 14 scribere, et attendes carmina mixta joco.
 15 Cur sereret nullas segetes quaesivit egenum
 16 dives ; respondit : "Semina quisque serit.
 17 Tempestate alia pauci sulcare solebant
 18 horrebamque famem, frigora longa, sitim.
 19 Tunc ego fortis humo mandabam semina, laetus
 20 excepi fructum ac aurea poma simul ;
 21 nunc potero ad tantas aliorum vivere terras,
 22 dulcia vina bibam, dulcia mala legam."
 23 Dives ad haec : "Propriis implebunt horrea granis
 24 agricolae et frugis quisquis avarus erit.
 25 Adventante hieme et longaevo frigore noctis,
 26 tu sine pane bibes pocula tristis aquae."
 27 Despexit ditem cautum sententia egeni
 28 atque urgente fame mortuus ille fuit.
 29 Non aliam poteris causam praebere roganti
 30 quam de fruge habuit dives ab agricola.
 31 Audes humanis studiis indicere bellum ?
 32 Indignum facinus tempora nostra vident !
 33 Monstra quis haec credat ? Medias sitibundus ad undas
 34 non bibit, ille vorax despuit ore cibos.
 35 Temporibus primis tu solus in urbe colebas
 36 rhetores, et quamvis nullus in urbe foret,
 37 pauperie tunc dives eras, nunc copia egenum
 38 te facit : affluxus rhetoris ipse nocet.
 39 Non opus est monitu, cum te Andreatius ardens
 40 admonuit : placidos edidit ille sales.
 41 Si a se discedis, tu te discedis ab ipso
 42 deque viro armato factus inermis eris.
 43 Si studia atque artes fugies tu pectore nostras,
 44 ex Erebo infernas ipse vocabo deas,
 45 non nisi Tisiphonen et Tisiphonesque sorores,
 46 aut si quid Stygio gurgite pejus erit.
 47 Irruet ante oculos Furiarum turba ; timebis
 48 flagra dei inferni et milia, crede, faces.
 49 At si non fugies, sacras vocitabo Camenas,
 50 aut si quid caelo dignius esse potest ;
 51 at si non fugies, suaves opobalsama odores
 52 spirent et violae, spargat et aura crocos.
 53 Aut repetas Musas aut tot pellemus ab urbe
 54 rhetores, et primas ique redique vias.

AD MAURITIUM LUTIIUM UT SVAE NUPTAE PRIMOS FLORES DECERPAT

C_11 v.1 Tonia formosa est et sanguine clara parentum
 2 et veterum fama est nobilitata patrum.
 3 Quando puella uterum matris delinquit et aura
 4 vescitur, adventant Juno, Diana, Venus.

5 Juno torum speciemque Venus, sed Luna pudorem
 6 affert : quaeque suo munere donat eam.
 7 Luna verecundo depinxit in ore ruborem
 8 et posuit capiti sidera bina suo.
 9 Haec ubi facta, Venus nitidis arrisit ocellis
 10 et dixit : "Rutilus spargo per ora rosas."
 11 Et triplici dono donata est virgo pudica :
 12 connubio stabili est tradita Mauritio ;
 13 et manibus divum facta est Antonia sacris
 14 splendidior speculo candidiorque nive.
 15 Felix ante alias tanto exornata marito
 16 quae thalamum intrabit splendida nympha tuum !
 17 Festina hibernas secum consumere noctes
 18 et matutinas collige prime rosas !

AD AENEAM SILVIUM RESPONSIO

C_12 v.1 Non hilarem accipiat meme Trinacria tellus,
 2 ni dederò Aeneae carmina mille prius.
 3 Verbula quae niveo tu vis mea marmore pingi
 4 sunt tectura piper, cinnama, thura, crocum.
 5 Versibus ornasti tantis Marrasia Tempe,
 6 ut me immortalem longa papyrus agat.
 7 Nugas non agito, nisi sint mea plena furore
 8 pectora : tunc scribo quom venit ille furor.
 9 Silvius Aeneas cantabitur atque decora
 10 picula et alteruter carmina nostra leget.
 11 Ipse vale et laudes si mille optaveris, ora
 12 ut cito diripiat pectora nostra furor.

AD DEAS AQUARUM

C_13 v.1 Nymphae, carus amor fugit hinc : vos currere ad ortus
 2 incipite et Venetam correvocate meam.
 3 Et te cymba, precor, nostrum quae ducis amorem,
 4 quam modo puppis aquam nunc tua prora secet.
 5 Cymba, redi subito ; nam te rediisse juvabit :
 6 lignea quae modo sis, aurea puppis eris.
 7 Fluminaque ad proram veluti nunc saxa rigete,
 8 ut redeat lasso remige cymba suo.
 9 Nymphae, carus amor fugit hinc : vos currere ad ortus
 10 incipite et Venetam correvocate meam.
 11 Dicite Hamadryades et rustica numina clament :
 12 "Clausum iter ad Venetos, clausum iter ad Venetos."
 13 Semper Hamadryadum coluit qui templa puerque
 14 navit qui latices saepius ipse fui.
 15 Exclament omnes et concava saxa vocabunt :
 16 "Clausum iter ad Venetos, clausum iter ad Venetos."
 17 Nymphae, carus amor fugit hinc : vos currere ad ortus
 18 incipite et Venetam correvocate meam.
 19 Tu, Neptune, velis extollere ad astra procellas,
 20 territus ut fugiat nauta pericla maris,
 21 aut tenui adstrictum mare sit glacieque geluque,
 22 ut neque sit remo nec via tuta pede.

23 Tunc tibi, Neptuno, niveum mactabo juvencum :
 24 Gnosia, si libeat, Gnosia vacca cadet.
 25 Nymphae, carus amor fugit hinc : vos currere ad ortus
 26 incipite et Venetam correvocate meam.
 27 Te, Venus, humanos superant si fata dolores
 28 adversa, in saxum si mea membra rigent,
 29 oro, animam e nostris fugientem siste medullis,
 30 neve anima primum corpus inerme ruat.
 31 Sed praesens facilisque meo succurre dolori ;
 32 corruet ante tuos candida vacca focos.
 33 Nymphae, carus amor fugit hinc : vos currere ad ortus
 34 incipite et Venetam correvocate meam.

AD FRANCISCUM TALLONUM, QUALEM PUELLAM CANTARI DIGNAM ELIGERE
 DEBEAT FERRARIAE, TIBI PUELLAE AMANTIS MORES DESCRIBUNTUR.

C_14 v.1 Pestis ab Etrusca postquam me depulit ora,
 2 ingenio et Musis et sine amore fui,
 3 et raucae nostrum ranae excussere cerebrum,
 4 quae Patavi fines et loca spurca natant.
 5 Tris inter medicos vigilavi squalidus annos,
 6 Hippocraten legi non sine rege Arabo.
 7 Expertus varias herbas variosque liquores,
 8 aegrotis didici ferre libenter opem.
 9 Interea nullo caluerunt pectora amore,
 10 saeva nec injecit spicula acerbus Amor.
 11 Nunc ego limosas timeo argentesque paludes
 12 inviaque et steriles undique stagna lacus,
 13 ut dubitem in saxum subito mea corpora vertant,
 14 neu rigeant veluti frigida corda nives.
 15 Cum, Francisce, tibi divum non defuit umquam
 16 ingenium versus atque decoris item,
 17 cum relegis nostros atque oblectaris eisdem
 18 versibus, et nugae cum placuere meae,
 19 ut redeant primae citharae Musaeque priores,
 20 nunc tibi arundinea est quaeque petenda palus ;
 21 fluminaque et rivi, fontes et stagna petantur
 22 et quoscumque locos splendida nympa colit.
 23 Saepe inter salices nymphas errare videmus,
 24 saepe inter calamos, saepius inter aquas.
 25 Excerpta tibi nunc est ex vallibus istis
 26 nympa decora meis saepe canenda sonis.
 27 Hos habeat mores : mentemque animumque modestum,
 28 nec modo sit facilis, nec modo cruda nimis ;
 29 gaudeat interdum me praetereunte, revolvat
 30 interdum faciem dissimuletque suam ;
 31 nec me discruciet quotiens me viderit illa,
 32 laeta nec ex habitu saepe sit illa meo ;
 33 illa mihi facie nitida vultuque sereno
 34 rideat, ut nostrum bulliat igne jecur ;
 35 illa Medusaeo nec me respexerit ore :
 36 sim velut Aglauros, frigidus unde lapis ;
 37 me flentem si quando etiam tristemque videret,
 38 se mitem atque hilarem praebat illa mihi.
 39 Hanc mihi si dederis divam, Francisce, puellam,

40 mille elegos fingam conficiamque sibi.
 41 Hoc mihi natura est : nisi sim devinctus amore,
 42 nulla fluunt nostro carmina docta sinu.
 43 Nec tibi deficient ex nostro carmine, laudes
 44 atque mihi aeterno tempore amicus eris.

DE TRANSMUTATIONE AC LABORIOSA AMATORUM VITA AD MEDUSAM DIVAM PUELLAM

C_15 v.1 Quam timui, ante meos oculos objecta Medusa es
 2 et mea tu laqueo colla superba ligas.
 3 Scis, renui faciemque tuam mihi saepe minantem
 4 extimui et mores insidiasque tuas.
 5 Quid, si te fugio, me firmitus ipsa catena
 6 stringis ? Si redeo, me quid iniqua fugis ?
 7 Tu quotiens nostros mutasti carmine vultus ?
 8 Tu quotiens oculis pectora tota tuis ?
 9 Saepe ego vipereos sumo cervice capillos
 10 oraue terna humeris stant rabiosa canis ;
 11 saepe fui mitis, tenero mansuetior agno
 12 et mea caesaries aurea saepe fuit.
 13 Ah quotiens stabulis fenum paleamque momordi !
 14 Excubui quotiens more timentis apri !
 15 Me celerem quotiens texit fumaria vestis,
 16 nec mihi pistori janua aperta fuit !
 17 In me praecipites veniunt qui moenia lustrant,
 18 pervigiles cursant in mea crura canes ;
 19 teque jubente canis mea sumpsit imago figuram :
 20 quem lanient hostem non habuere canes.
 21 Efficior tener atque macer, pinguissimus ; adde
 22 uno eodemque die vir, puer atque senex.
 23 Quid referam ? Convertor amans in mille figuras
 24 quaque die et totidem nocte silente novas.
 25 Brachia tu quamvis mutasti et corpora nostra,
 26 non animum poteris, blanda Medusa, meum.
 27 Contribuere mihi nascenti sidera legem
 28 et connexa pari fila fuere manu,
 29 ut numquam sine amore velint mea corda manere,
 30 seu Paris ipse mihi, seu mihi Nestor ero.
 31 Ergo si quis erit qui me prohibebit amare,
 32 Ixionis poterit sistere nempe rotam,
 33 Tantaleamve sitim poterit sedare famemque
 34 vulturis ; impleta vasa ferentur aqua.
 35 Brachia tu quamvis mutasti et corpora nostra,
 36 non animum poteris, blanda Medusa, meum.
 37 Te propter quotiens faciem percusserat imber
 38 dempserat et capiti tegmina nostra furens !
 39 Saepe per ardentem movi vestigia soles
 40 et redii hiberna quam madefactus aqua ;
 41 saepe mihi placuit ventis committere navem,
 42 saepe suam venti commaculare fidem.
 43 Mobilior quamquam tu sis quam ventus et unda,
 44 cur tamen in te una stat mea fixa fides ?
 45 Herculeos sibi quisque animos assumat amator,
 46 damnaque sub domina deteriora feret.
 47 Ipse ego pro nihilo facio, mihi crede, labores

48 Herculis : ingredior Tartara mille vices,
 49 Tartareusque canis, superas extractus ad auras,
 50 venit et extimuit meque meamque manum ;
 51 et Furiae infernae me cognovere furentem
 52 et mirata meum dira Chimaera caput.
 53 Ad me confugiat Stygiam transnare paludem
 54 qui cupit, inferni si bene nescit iter :
 55 notum iter et sedes et quae sub nocte volantes
 56 perpetiuntur aves et vada, cymba, Charon.
 57 Vix poteram prius ipse leves sufferre labores,
 58 nunc graviora libens et leviora puto.
 59 Nulla subest illi potior medicina labori,
 60 quam veniat, domina, sub ditione tua.
 61 Ah, quotiens volui committere lumina somno !
 62 Fugerat at somnus lumina clausa meus.
 63 Ante tuos postes noctem vigilavimus omnem ;
 64 praeterii ante illos lumine mille vices.
 65 Si qua datur somno requies, si lassa quiescunt
 66 membra toro, in mentem blanda Medusa venis.
 67 Aestivus quotiens dum sol exureret agros,
 68 intrarunt guttur pocula nulla meum !
 69 Multotiens sine pane diem consumpsimus omnem,
 70 vexabat quamvis viscera nostra fames.
 71 Consueram lacrimas nullas perfundere, sive
 72 mortua mater erat, vel meus ipse pater ;
 73 unde sit admiror mihi nunc data copia flendi.
 74 Non nisi sunt lacrimis lumina plena meis.
 75 Juppiter, ut fama est, perjuriam ridet amantum,
 76 sic lacrimas ridet nocte dieque meas.
 77 Totque fui postquam poenas ego passus amaras,
 78 tu nostri luctus es miserata graves
 79 et mihi dixisti : "Relegas quid epistola dictat
 80 nostra brevis, quam nunc aurea fila ligant."
 81 Tunc ego : "Complures oculos quam pastor habebat
 82 Argus, quam caelo sidera nocte micant."
 83 Et subito, nivea vestitus pectora veste,
 84 nocte sub obscura prata secanda peto.
 85 Luciferi ante ortum felicia gramina legi
 86 quae fuerant atro sanguine tincta lupi ;
 87 et mihi per gelidos campos quaesita cicuta est
 88 et quae cantantes adjuvat herba manus.
 89 Quin etiam ad tumulos media sub nocte resedi
 90 et traxi digitis virginis ossa meis.
 91 Per similes artus facta est tibi cerea imago
 92 et cordi infixata est ferrea fortis acus.
 93 Suppositum Veneri Martem cum vidimus omnes,
 94 collecta artificum profuit herba suo.
 95 Tunc incude faber ferri et fornace metallum
 96 excoxi et factus anulus inde fuit.
 97 Quantum in amore valet tu scis, mea diva puella,
 98 aureus hic nostra circulus arte cavus.
 99 Namque obscura die facta est nox clarior omni,
 100 qua concessisti gaudia cuncta tori.
 101 Tecum si possem tales consumere noctes !
 102 Nox aeterna, veni ; lux reditura, fuge.

CONGRATULATIO DE PACE AD LEONELLUM ESTENSEM

C_16 v.1 Non nisi de sancta volui, clarissime princeps,
 2 pace loqui nostris versibus atque jocis.
 3 Pax tranquilla tuos populos sine fine tenebit :
 4 tu pius et verus pacis amator ades.
 5 Fortis es et justus non justo tempore princeps,
 6 quem tibi subjecti numinis instar habent ;
 7 Tu juvenis natu, sed prudentissimus heros,
 8 tu regis imperiis regna paterna tuis ;
 9 atque ita tu populos, cives gentemque gubernas,
 10 ut videare tuis anteferendus avis ;
 11 atque ita tu cunctis dignos largiris honores,
 12 ut te divinum quilibet esse putet.
 13 Est opulenta viris urbs haec Ferraria multis :
 14 hospitium pacis te duce semper erit.
 15 Non minus et patris semper fuit aucta triumphis
 16 tellus finitimis invidiosa locis.
 17 Hesperia de gente truces mortale duellum
 18 expleturi hostes hic habuere locum.
 19 Indixere diem pro se sibi quisque tyrannus :
 20 armati veniunt ad fera bella viri ;
 21 dumque animus dubio, dum mors vicina videtur,
 22 divisit sapiens proelia voce parens :
 23 quos neque magna ducum nec magna potentia regum,
 24 hos potuit genitor conciliare tuus.
 25 Adde quod et Latiis erat exitiale periculum
 26 urbibus et multis bella futura malis,
 27 et populi atque duces accingebantur ad arma
 28 atque erat Italicis una ruina deis
 29 ni pater illustris tecum posuisset opimam
 30 pacem inter Venetos anguigerumque Ducem.
 31 Conticeo proavos quibus exornaris ab aevo,
 32 unde Estense genus, quis, Leonelle, parens.
 33 Magnum opus et magnas res scribere non sine magno
 34 ingenio et nostrum quam puerile vides.
 35 Sed si forte meum nunc fortunatius esset
 36 ingenium, canerem teque tuamque domum.
 37 Gaudeo quod studiis, rarum est hoc tempore, princeps
 38 deditus humanis clarus et eloquio es.
 39 Maecenas obiit, simul oppetiere poetae ;
 40 sed tibi nascetur, dive, poeta tuus.
 41 Est opulenta viris urbs haec Ferraria multis :
 42 hospitium pacis te duce semper erit.
 43 Est Baccho Cererique etiam gratissima ; Phoebus
 44 hanc amat hancque colit hancque tuetur Amor.
 45 Tantis culta deis visa est mihi dulcis ; amavi
 46 hanc urbem, placuit mosque genusque suum,
 47 ut nulla sub parte poli perpessus iniquas
 48 tot fuerim poenas totque timenda mala.
 49 Res mira, et nostris non est audita nec ullis
 50 temporibus, volui quot fera bella pati.
 51 Audi et vera leges quot sunt discrimina amantum
 52 quotque viae et quantis subdita vita malis :
 53 pro nihilo faciunt et mille pericula, mille

54 mortes atque volunt mille perire modis.
 55 Haec mihi nota via est per quam vestigia movi
 56 saepius et vidi quam sit amara via.
 57 Si tantis adjecta malis est vita, voluptas
 58 una subest illi, quae mihi pluris erat ;
 59 haec erat ut facerem placidam facilemque puellam,
 60 ut veniat domina sub ditione mea.
 61 Post multos luctus, lites saevosque labores
 62 pax tranquilla fuit non habitura modum.
 63 Et juvenes pacem retinent pacemque puellae :
 64 si quid agunt, pacis omnia plena vides.
 65 Pax tranquilla tuos populos sine fine tenebit :
 66 tu pius et verus pacis amator ades.

DE ORTU, OBITU ET VITA LARVARUM PRO SUCINO BENTIO SUO
 AD NICOLAUM MARCHIONEM ESTENSEM

C_17 v.1 Larvati dicunt, princeps animose, salutem,
 2 Marchio, quos genuit desidiosa Venus.
 3 Nos uno partu, nulli conjuncta marito,
 4 parturiit caeca lucida nocte parens,
 5 et nobis geminas facies oculosque quaternos
 6 confinxit celeri composuitque manu.
 7 Hinc Lachesis timuit cuicumque revolvere fila
 8 per geminos fusos per geminasque colos.
 9 Fata deam flentem sunt et miserata timentem
 10 et statuere uno funera nostra die.
 11 Tandem nostra parens divos et fata rogavit,
 12 nec potuit lacrimis fata movere suis,
 13 sed sibi deflenti nos concessere renasci
 14 postque mori, annalis conficiendo jocos.
 15 "Vita brevis sit, laeta tamen, sat mensibus unis,
 16 dixere, ut Lachesis stamina pauca neat.
 17 Larva oculis oculos comedat digitosque nitentes
 18 cum digitis, crescat semper edendo fames.
 19 Protea Vertumnumque patrem Dryopemque sequantur,
 20 censores habeant undique mille senes
 21 et dicant quaecumque velint impune loquentes,
 22 sive jocosa velint, sive pudenda velint.
 23 Bacchus avus : celebrent sua dulcia templa nepotes
 24 larvati, epotent munera lauta patris."
 25 Cum spatium vitae breve sit, Venus ipsa medetur
 26 huic morbo cantu, saltibus atque lyra ;
 27 et nos edocuit citharam sua verba sequentem
 28 artificesque pedes organa docta sequi,
 29 et jussit nos tela pati, quaecumque Cupido
 30 conjiceret : nobis dux fuit ipse datus.
 31 Nos monet hoc versu noctuque dieque canendo
 32 (aspera non illi vox neque rauca manet) :
 33 "Si vixit paucos, multos si vixerat annos,
 34 saxeus ille fuit, qui sine amore fuit.
 35 Nil Jove majus erat, nil et Jove majus habetur :
 36 coepit amare puer, nec sine amore senex."
 37 Sed quoniam nobis est vita brevissima, ludos
 38 ipse velis, festos et celebrare dies.

39 Marchio concelebra, heroum clarissime princeps,
 40 qui laeta efficient funera nostra jocos.
 41 Formosae pulchraeque petant tua tecta puellae,
 42 est quibus aurata et candida vestis honos,
 43 et cunctae Veneres, tua quas Ferraria nutrit,
 44 et si qua auratis vestibus una decor,
 45 ut digitos digitis possint conjungere nostris,
 46 Ad citharam ut possit quaeque movere pedes.
 47 Haec si praecipias, ex Gaio fonte Camenas
 48 traducam ad clari brachia longa Padi.
 49 Majorum laudes, titulos et gesta tuorum
 50 illustremque domum et te, Leonelle, canam.
 51 Dii tibi dent quaecumque velis, quaecumque rogabis :
 52 asper qui fuerat sit tibi mitis Amor.
 53 Dii te perpetuent, cuncta et per saecula laetum
 54 reddant, nec subeat vita beata necem.
 55 Unum oro : nostros jucundo lumine versus
 56 perlege ; Sicanios incipe amare viros.

NICOLAUS MARCHIO ESTENSIS AD SUCCINUM BENTIUM ET MARRASIUM SICULUM

C_18A v.1 Vos laetis oculis, laetis complector et ulnis,
 2 laetitiae nati laetitiaeque patres.
 3 Vos pax dulcis alit placidusque per otia risus,
 4 vos jocus et ludus, vos comitatur amor.
 5 Talis nostra deos Ferraria fertilis optat,
 6 cum lascivus ager urbsque canora salit.
 7 Non ego vos claros obscura nocte creatos
 8 crediderim : melior jactat origo suos.
 9 Nam vates celebrer, tragici decus ordinis, olim
 10 Aeschylus in scaenam multa notanda tulit,
 11 inter quae larvam mimis pulchrosque cothurnos :
 12 sic locupletat eam versibus atque habitu.
 13 Hinc personatae primum sonuere Camenae ;
 14 nutriit ast larvas insidiosa Venus.
 15 Palpat amans, loquitur tractatque licentius artem,
 16 dum larva, ut clipeo, retia operta jacit.
 17 Nec minus antiquus larvam tibicen habebat,
 18 quom festos coluit maxima Roma dies.
 19 Larva oritur ceu myrrha, croci, rosa, lilia, odorae
 20 ceu violae : cessant tempore quaeque suo.
 21 Pectoribus tacitis generosi vivit amantis,
 22 pascitur haec venis, cordibus ipsa viget.
 23 Ergo patres nacti tales, his moribus alti :
 24 ad nos non pudeat ferre gradum propius.
 25 In primis magno veniens Ugone parente,
 26 quem Phoebus lustrat quemque Minerva colit,
 27 insignis Succine veni, comitante poeta
 28 Marrasio ; Musis regia nostra sonet.
 29 Ocius hic adsint ornatae faxo puellae,
 30 Narcissi plures cumque Helenis Parides.
 31 Cantibus et cithara saltus agitate decoros,
 32 ut satyri cunctos exhilarate choros,
 33 virgo senex vir nupta, joco invitante procaci.

34 Hujus laetitiae quo meminisse queant,
 35 intentus cunctos citat, ecce, Cupidinis arcus :
 36 si fugiant, laesus vulnera acerba dabit.
 37 Is namque imperium terris exercet et undis
 38 inque deos omnes : sola Minerva vacat.
 39 Hujus signa subit quisquis victricia miles,
 40 membra senex fiet, ast animo juvenis.
 41 Dum sinit ipsa dies, dum vestra decentius aetas,
 42 carpite jucundo gaudia plena sinu.
 43 Aspiciate ut celeres serpant ad tempora cani,
 44 quis modo caesaries flava nimis fuerat.
 45 Aspera mox veniet dapibus regina severis,
 46 quae luxum frangat, corpora tota domet,
 47 urgeat edicto sensus frenare petulcos,
 48 ferre sitim et duram viscera nostra famem,
 49 post cantus lacrimis sanctos audire prophetas
 50 et nudo ad templa saepius ire pede
 51 atque oculis castis alienam cernere nuptam,
 52 stringere labra simul nullaque vana loqui.
 53 Dum datur ergo animis manifesta licentia vestris,
 54 lascivum moveant ora, pedes, oculi.
 55 Dulcior interea gnatus pia cura parentis
 56 sit Leonellus ovans saltibus atque joco,
 57 promptior ut Musas ac Pallada deinde revisat :
 58 intermissus enim fit labor ipse levis.

AD GUARINUM VERONENSEM VIRUM LITTERATISSIMUM

C_18 v.1 Postquam tu nostris respondes, dive, tabellis,
 2 postquam complacuit nostra Camena tibi,
 3 gloria Marrasio dabitur non parva Sicano
 4 atque futurus honos non mihi parcus erit.
 5 Omnia quae veteres nostri scripsere Latini
 6 carmine, prosa etiam, cuncta, Guarine, sapis ;
 7 nec minus et Graias inter doctissimus artes,
 8 sive velis prosa, carmine sive velis.
 9 Adde quod historias scripsit quas doctior Argis
 10 Plutarchus transfers et meliora doces.
 11 Non ego descripsi quam prima theatra colebant
 12 larvam, sed quam nunc regia quaeque tenet.
 13 Si primos ortus primaeva ab origine vellem
 14 scribere, principium tunc mihi Tespis erat.
 15 Post Tespim palla cum mimis atque cothurnis
 16 Aeschylus ad nostri tecta secundus eat.
 17 Tunc me oblectarent dicentem haec omnia, sed nunc
 18 faece nihil calamos ora peruncta juvant.
 19 Idcirco mimos, scaenam grandemque cothurnum
 20 praeterii : non hos fabula nostra colit.
 21 A me tibicen, populus spectator et omnis
 22 tibia praeterita est praeteritaeque tubae ;
 23 sed ne cui dubio foret haec mea larva legenti,
 24 personae alterius tempora et arma canis,
 25 quae, veluti flores quando cecidere, moritur.
 26 Larvatus moritur, quom sua larva cadit.
 27 Nil moritur, cessare suo si tempore dicam

28 nonque mori : cessat ceu rosa quisquis homo.
 29 Quam mihi misisti larvam, sine matre novercam
 30 ipsa habet et plures est sibi nacta patres ;
 31 quam tibi, nullus inest genitor, sed candida mater
 32 mitior atque illi nulla noverca fuit.
 33 Ipse meam tuque ipse tuam jungamus utrasque
 34 conjugioque adsint Bacchus et ipsa Venus.
 35 Ex his ambabus nascetur filius unus,
 36 monstrum, quod vultus continet ante retro.
 37 Haec jocor, haec habui festis aptanda diebus,
 38 officii ingratus ne ferar ipse tui.
 39 Maxima carminibus referatur gratia, namque
 40 perpetuo vivent carmina nostra tuis.

AD KYRIACUM ANCONITANUM¹ RERUM VETUSTARUM INDAGATOREM DILIGENTISSIMUM

C_19 v.1 Si qua fuere virum divina epigrammata saxis
 2 insculpta obscuro nomine, clara facis.
 3 Tanta libido animo veterum monumenta videndi
 4 fixa tuo, ut mundus area parva fuit.
 5 Hinc tibi praeclaro Musae arrisere Latinae
 6 hincque tibi Argivae mille dedere jocos.
 7 Comis es et frugi vel sancto dignus honore,
 8 Kyriace ; hinc larvas accipe, amice, novas.
 9 Illis siquid inest crudum aut non auribus aequum.
 10 Si qua juventa illis nunc videatur iners,
 11 id reseca, sive ipse tua fac arte senescat,
 12 jucundo ut possint lumine verba legi.
 13 Kyriace, hoc pacto capias munuscula nostra,
 14 ut mihi larvato tu comes esse velis.

1 voir précisions en fin de texte

AD SERENISSIMUM AC INVICTISSIMUM PRINCIPEM SIGISMUNDUM UNGARIAE
 ET BOEMIAE REGEM NEC NON ROMANORUM CAESAREM SEMPER AUGUSTUM
 CONGRATULATIO DE ASSUMPTA LAUREA ET EXHORTATIO

C_20 v.1 Temporibus diris laetor tibi, maxime Caesar,
 2 postquamserta tuum circumiere caput
 3 et fasces meriti vetus et diadema priorum,
 4 frontem etiam cinxit fulva corona tuam.
 5 Hoc facinus clarum, quod non potuere Latini,
 6 complesti, Romam quom tetigere pedes.
 7 Italiam confectam odiis et ad arma furentem
 8 venisti atque etiam ad bella cruenta ducum,
 9 auspiciisque tuis tranquilla pace relinquis
 10 tu Latios populos, oppida, rura, focos.
 11 Maecenas studiis cum sis et Julius armis,
 12 Augustus pacis totius orbis eris.
 13 Si claro voluit Maecenas vivere versu,
 14 aeternus versu maluit esse deus,
 15 quam sua membra forent in duro sculpta metallo,
 16 aurea sive forent aenea sive forent.
 17 Sciverat aeternos homines non posse metallum
 18 efficere, historicus sive poeta facit.
 19 Exstinctus merito majori est laude canendus

20 Maecenas, vivus quam fuit ullus Otho ;
 21 illius exstincti nomen delere senectus
 22 non poterit, vivus mortuus hicque fuit.
 23 Humanis studiis cum sis ornatus et armis,
 24 arma tenes : defit qui tua gesta canat.
 25 Numquam animo heroes, numquam ardua facta deorum
 26 scribere, non umquam fortia bella fuit.
 27 Horridus in primis strepitus, concursus equorum
 28 audax, dirus erat sanguinolentus eques.
 29 Ipse ego te postquam vidi, invictissime Caesar,
 30 mutavi mentem propositumque meum,
 31 unde elegos, lusus et mollia carmina linquam
 32 cantaboque pari regia bella pede.
 33 Nulla dies nostro fuit hac jucundior aevo,
 34 qua tibi nunc dico : "Maxime Caesar, ave.
 35 Maecenas studiis cum sis et Julius armis,
 36 Augustus pacis totius orbis eris.
 37 Restat ut hunc mundum discordi lite cadentem
 38 concilies : nam te sidera et astra vocant.
 39 Parendum est superis, quorum terrena potestas
 40 numine et augurio consilioque datur.
 41 Humani generis fatum pendere videtur,
 42 imminet et cunctis summa ruina deis.
 43 Ergo, age, discordes animi jungantur in unum,
 44 ne in priscum redeant tempora nostra chaos.
 45 Dissidia et lites et tot discrimina postquam
 46 dempseris ipse tua, maxime Caesar, ope,
 47 tum genus et proavos et felicissima patrum
 48 nomina teque prius et tua gesta canam."

AD PANHORMITAM DIVUM POETAM, UT SOLVAT PROBLEMATA QUAE EI VENUS ANTE OCULOS ADIECIT :
 UNDE EST <UT> UNUS GALLUS CENTUM GALLINARUM SUFFICIENS FUTUTOR SIT, CENTUM HOMINES
 NON UNIUS FEMINAE ; ALTERUM UT PULCHERRIMA PUELLA UNI PAEDICONI SUPERABUNDANS SIT,
 MILIA VERO EPHEBORUM VIX SUFFICIUNT.

C_21 v.1 Siquis erit Latio, qui possit solvere nodos,
 2 quos mihi subridens attulit alma Venus,
 3 ipse eris, sacrum calamum cui cessit Apollo
 4 et citharam suavem et, sancte poeta, lyram.
 5 Centum gallinas cum gallus pressit et unus,
 6 gallus sufficiens omnibus unus erit ;
 7 non satura est centum mulier nec lassa priapis,
 8 comperta est dicens femina nulla : "Sat est."
 9 Una supervacua est etsi pulcherrima virgo
 10 robusto juveni, si foret illa Venus ;
 11 si teneros centum quis paedicaret ephebos,
 12 milia si veniant, non erit ille satur.
 13 Unde est orta animis tantum diversa voluptas ?
 14 Si sapis, ornabunt myrtea sarta caput.
 15 Haec Cytherea mihi solvenda aenigmata mandat :
 16 ni faciam, ex coetu me fugat illa suo.
 17 Antoni vates, aeterno carmine laetus,
 18 aeternam famam saecula cuncta tenes.
 19 Euclees mihi verba deae commixta tenebris ;
 20 est mea vita tuas inter, amice, manus.

21 Implicitum his curis tu me, divine poeta,
22 extricare velis, dive poeta, velis.

MARRASIUS ANTONINO SUO SALUTEM

C_22 v.1 Antonine, tuos quotiens numerabis amicos,
2 fac meus in prima parte legatur amor.
3 Me tulit Aluriacus non longe a litore collis,
4 me dudum Tusci detinuere Lares.
5 Hinc me diva suis revocatum cepit ocellis
6 angela, nunc lauro me tegit ipsa sua.

EPIGRAMMA SCULPTUM IN FONTE GAIIO SENIS

C_23 v.1 Marrasius moriens vitamque animamque reliquit
2 fonte sub hoc ; reteggit frigidus ossa lapis.

AD NICOLAUM PAPAM IN ALIOS ELEGOS PRAEFATIO

C_24 v.1 Quam tibi cui melius poteram committere versus
2 quos castigandos sciverit esse meos ?
3 Illis si quid inest crudum aut non auribus aequum,
4 aut lima aut dolabra tu resecares potes.
5 Humani interitus si quid male concino, quis te
6 philosophos inter clarior unus adest ?
7 Arbitrii nostri si quid male colligo, nemo
8 divinum poterit te superare virum.
9 Sidereos motus, errantia sidera septem
10 atque retrocessus quis trutinare potest
11 et melius praebere vias lunaeque labores
12 dicere et aequatos connumerare dies ?
13 Saturni atque Jovis si ex triplicitate volarunt
14 sidera et amborum linea centra scidit,
15 quicquid agit natura potens et viribus instat,
16 omne aenigma potes solvere, sancte pater.
17 Philosophi centum non suffecere Latini
18 nec tibi si quid habet lingua Latina decus.
19 Omnia rimatus veterum commenta, novorum
20 si quid honoris habent visa fuere satis.
21 Ingenii vis magna tui contenta Latino
22 non fuit eloquio ; Graeca videre libet.
23 Argolicas artes, divina volumina ab Argis
24 edita, quae a claris scripta fuere viris
25 et quaesita diu tandemque inventa, Latine
26 nunc translata vides et bene lecta sapis.
27 Argolicis opulenta viris est reddita, quamvis
28 dives erat doctis lingua Latina suis.
29 Philosophi plures temptant quadrare rotundum :
30 palma Syracusio jam data palma fuit.
31 Amplior atque minor reperitur circulus, ergo
32 quadrato aequalis : talia Brisso refert.
33 Antiphon in trigonis trigona accumulare laborat,
34 ut tandem in curvam linea recta cadit.

35 Hi suadere queunt quod demonstrare volebant :
 36 nulla sagitta ferit proxima signa virum.
 37 Musa Syracusium voluit cantare Maronis
 38 Theocritum exstinctum saecula trina senem ;
 39 sed Jacobus, Graium genuit quem Mantua civem,
 40 transtulit in linguam Dorica scripta meam.
 41 Sicelides Musae tibi se debere fatentur,
 42 Mantua, quas nulla laude perire sinis.
 43 Pontifici summo peragatur gratia primo,
 44 qui transferre facis mortua dicta viri.
 45 Mortua millenos ac incinerata per annos
 46 sphaera Syracusii, sive cylindrus, erat.
 47 Incipit a spira quum vult quadrare rotundum,
 48 sed trigonum et spirae quadra rotunda probant.
 49 Quadratura fuit per saecula nulla nec aevum
 50 scita : Syracusio cognita prima fuit.
 51 Theophrasti veteres plantas facit ecce novellas
 52 Theodorus, Graecus natus, in Urbe probus.
 53 Conticeo innumeros quae sunt memoranda per annos,
 54 quae traducta facis : solus Homerus abest.
 55 Ulterius proprias non vult errare per urbes
 56 Maeonides, Latias vult habitare domos.
 57 Si barathro ex imo revocabis ad aethera nostrum,
 58 incola Romanus factus Homerus erit.
 59 Ilias, antiqui quam nescivere Latini
 60 transferre et Latiis edere quippe novam,
 61 mavult in linguam per te migrare Latinam
 62 quam velit Argivas nunc habitare casas.
 63 Roma viros claros quot sint, mirabile dictu,
 64 pascit pane tuo, ditat et aere tuo.
 65 Nam quota pars orbis melior subjecta Tonanti
 66 te petit atque tuos est venerata pedes.
 67 Magnificos sumptus abs te pro Caesare factos
 68 praetereo : illud agam posteriore die.
 69 Est opus ingenio, veniunt in carmina divi ;
 70 non timeo : versus censor amicus eris.
 71 A te principium, nostri quoque carminis auctor ;
 72 quicquid agam, semper tu mihi numen eris.

DN PAPAE NICOLAO V ROMAE III NONAS APRILIS

C_25 v.1 Quisquis es, insignis, triplicis cui machina mundi
 2 obsequitur nutu clausa et aperta tuo ?
 3 Infera regna timent, caelestia gaudia sumunt ;
 4 sunt homines medii, qui inter utrumque natant.

NICOLAI PAPAE V RESPONSIO.

C_25B v.1 Sarsana quem genuit, Thomas sum, nunc Nicolaus
 2 Papa vocor quintus nomine velle Dei,
 3 cui Pater omnipotens caelum terramque patentem,
 4 cui sub posse meo Tartara nigra dedit.

VATICINIUM ANTE XX ANNOS ULTRA DE NICOLAO PAPA V ACTUM BONONIAE.

C_26 v.1 Quum vidi te velle omnes superare legendo
 2 et rebus sacris velle praeesse deis,
 3 praetereundo pares nec non aequando priores,
 4 doctrinam cunctis posse docere tuam
 5 (nec conferre pares, nec te superare priores,
 6 nec tacitum poterant reddere voce sua,
 7 sed tua sublimis cunctas superabat, ut omnes
 8 argumenta queant discere acuta tua),
 9 praesagire animum fecisti haec omina nostrum
 10 et te praedixi vincere posse deos.
 11 Non me Tiresias docuit nec Apollinis aedes,
 12 sed divum ingenium cum probitate tuum.

CONGRATULATIO DIGNITATIS SUPREMAE ULTIMAEQUE LAUDES DE REBUS GESTIS

C_27 v.1 Pro ! Deus in terris, cui tanta potentia regum
 2 atque ducum paret, Caesaris alta subest
 3 et quicquid magno et salso est a gurgite cinctum,
 4 sis felix, felix : te duce schisma ruit.
 5 Nullum majus inest monstrum et letale venenum
 6 Ecclesiae, humanum corrui unde genus.
 7 Schisma cadens inter cives populosque ferendum est,
 8 firma suo regi si datur una fides.
 9 Si caput arripuit grave et insanabile vulnus,
 10 ni fuerit cervix secta bipenne mala,
 11 dissidia et plebis rixas et jurgia princeps
 12 castigat, si non conciliare potest.
 13 Diviso templo geminum caput esse necesse est :
 14 utrumque istorum justa fovere putant.
 15 Si facile est multos cives jungere in unum
 16 discordesque animos inde tenere manu,
 17 vix synodus poterit pastores jungere binos,
 18 alter ut alterius det sua colla iugo.
 19 Evertunt hereses populos et vota potentum ;
 20 schisma sequestrat eos a meliore sinu.
 21 Ambigitur quis pejor homo : qui mittit ad ignem
 22 tot populos aut qui pellit ab aede bonos.
 23 Gloria magna tibi, quam non habuere priores :
 24 unio namque tuo tempore facta fuit
 25 immensamque tuis veniam feliciter annis
 26 addidit omnipotens, vota suprema, Deus.
 27 Unio cum venia duo sunt clarissima mundo,
 28 quas supra optari res bona nulla potest :
 29 una ministrat opes, pacem vitamque quietam,
 30 altera laeta Deum, sidera et astra videt.
 31 Unam forte alii, geminas tu solus adeptus ;
 32 famam hanc exstingui tempora nulla queunt.
 33 Venit ab extremis hominum pars maxima Romam,
 34 pluripedes celeres ulterioris humi ;
 35 Eoi venere, austri gelidique Triones
 36 et zephyri, quartas quas tuus orbis habet,
 37 atque inter medios homines misere canentes
 38 tellus quaeque suos et plaga quaeque suos.

39 Nocte sub ingenti parvo et sub sole morantes
 40 jurant astra suum deposuisse situm.
 41 Est conata tuam faciem vultumque videre
 42 Parrhasis et nequii pondere pressa suo.
 43 Laudibus addo tuis : orator principe ab Indo
 44 missus iter vetitum transiit atque novum.
 45 Res mira audita est nullo neque tempore visa,
 46 postremis Indis has patuisse vias.
 47 Abbatem fluctus Siculas divertit ad oras :
 48 acceptus patria non sine honore fuit.
 49 Lauti fuere suo placido condita sapore
 50 fercula, diversae complacuerunt dapes.
 51 Fine epulis posito et quae praebet mensa secunda
 52 expletis, cecinit quae jubet alma fides.
 53 Convenere viri nostri, statuere coronam
 54 et cupidi quae fert India mira rogant.
 55 Hic sermone suo, mediante interprete, fatur
 56 armatos barrum ad proelia ferre viros ;
 57 majoresque canes nec non genus omne luporum,
 58 denique erat nostris grandius omne pecus.
 59 Sincipitis medio affixis cornibus unis
 60 est fera, quae volucres unicavincit aves.
 61 Maxima quaeque refert animalia vivere terra ;
 62 et quae pontus habet grandia monstra natant
 63 diversa in specie nostris ; hic nescius audet
 64 dicere quam majus non variatque minus.
 65 Thus et ebur sileant illaque opobalsama quis non
 66 est concretum lac vel sua gutta natat.
 67 Plurima praeterea redolentia aromata, gemmae
 68 et lapidum species grata colore suo.
 69 De Phoenice parum ; de Nilo multa recludit
 70 codicibus nostris consona verba nimis.
 71 Enarrat fontes magna virtute feraces,
 72 vix Siculi credunt, qui uberiora tenent.
 73 Unius scatebras describam, limpida cujus
 74 ab radice Aetnae frigida bullit aqua.
 75 Intense nigrum capiet tela alba colorem
 76 mersa sub hac : vidi haec experimenta probans.
 77 Exstat Agrigenti species salis : igne repostus
 78 liquitur at refugit vel crepitabit aqua.
 79 Tandem ego : "Fare, precor, vestro de principe verum
 80 an fictum quicquid fama perennis alit ?
 81 Relligiosus homo fertur vitaeque sacerdos
 82 caelibis, uxoris pondera nulla gerens.
 83 Reges atque duces magni sua sceptris verentes
 84 subjecti et solus pace gubernat eos."
 85 Dixit : "Habet natos et pignora cara probamque
 86 uxorem, generos ingenuasque nurus.
 87 Esse sacerdotem, cui nulla potentia compar,
 88 verum est, et reges sub juga colla tenent.
 89 Indus ab his Indis venio ; sub principe tanto
 90 dego ; mei reditus sit comes ipse Deus.
 91 Antoni sancti gracilem mea dextra bacillum,
 92 laeva crucemque gerit, pondera grata mihi."
 93 Post haec plura refert quae non sunt digna relatu,
 94 pace viri, surdis auribus illa meis.

95 Quando redire meus poterit pes lapsus ad Indos,
 96 qui tot per leucas distat ab Urbe tua ?
 97 Mercurio similis, talis qui nexuit alas,
 98 necte tibi pennas, pes meus, atque vola.
 99 Non opus est aura, remo pedibusque volantis
 100 fulmineo cursu dona petentis equi.
 101 Ausoniam petito, felicia templa Deumque
 102 quem colis et supplex ad sua tecta redi.
 103 En redii montes et flumina et aequora mensus ;
 104 tam celeri penna nulla rediret avis.
 105 Protinus Italicas cum sis regressus ad oras,
 106 incipe ab Ausonia dicere, si quid habes.
 107 Italiam confectam odiis et ad arma furentem
 108 vidisti et regum et proelia longa ducum.
 109 Auspicioque tuo cessarunt bella minaeque ;
 110 reges atque duces pax tenet atque fides.
 111 Pax tranquilla placet nec sanguinolenta ministrant
 112 arma ; tibi excudit fulmina nemo faber ;
 113 scorpio, funda, arcus, tormentum, blida, sagittae,
 114 hasta, aries, jaculum, pila, machaera vacant,
 115 atque horum generum quibus est sua vita futura
 116 perniciose viris arma sepulta jacent.
 117 Quae, si quando Dei bellis vexilla praeibunt,
 118 resplendere suo lumine acuta voles.
 119 Rejecta galea tutum te reddit amictus
 120 et quae circumdat magna tiara caput.
 121 Non lorica tuos thorax nec protegit artus,
 122 alba sed ardentis stamine texta Dei.
 123 Tu baculo templum, populos tu pace gubernas,
 124 Romam, alias urbes, oppida, rura, focos.
 125 Uberius laudes cumula, cape laudis acervos
 126 et laudum cumulis ditior unus eris.
 127 Nil melius, nil majus erit, nil sanctius orbe
 128 quam Christum pedibus menteque corde sequi.
 129 Ejus sectaris vitam et vestigia mores,
 130 pacem quam cunctis jusserat ipse dari.
 131 Nonne reservatas tibi per tot saecula laudes
 132 aspicias ? Et merito : contulit ista Deus.
 133 Unio quem tollit propulso schismate ? Magna
 134 quem venia ? Ausonia est pacificata cui ?
 135 India, quae reges multos alit ampla potentes
 136 atque suus princeps, quos adivere pedes ?
 137 Expediam paucis ad quem confluit ab omni
 138 parte orbis melius quod plaga quaeque tenet ?
 139 Et casura quibus manibus vitare ruinam
 140 templa datum primis et meliora dari ?
 141 Maxima quae aedificas sacrata palatia Romae
 142 ceu throni superant tecta superba tua.
 143 Te Pater aeternus multo ad majora reservat,
 144 ut sanctos inter connumereris avos.
 145 Annua festa tibi celebrabunt templa per orbem,
 146 interiment laudes saecula nulla tuas.

EXHORTATIO, AD MOVENDUM BELLUM IUSTUM CONTRA SYROS,
 QUI TERRAM SANCTAM OCCUPARUNT,
 AD NICOLAUM PAPAM V

C_28 v.1 Si quis forte roget qua sit ratione gerendum
 2 imperium, Augusti nomen habere putet.
 3 Quid fundare novas aut amplificare pusillas
 4 aut urbes proprio jure tenere jubet ?
 5 Moenia sancta suo sunt expugnanda labore,
 6 quae possessa diu perfidus hostis habet
 7 aut quae jam nostra sub religione manebant,
 8 aut si qua infidis pergama rapta videt.
 9 Barbara gens pereat, pereant qui bella retardant,
 10 quae poteris contra justa movere Syros.
 11 Nulla prior sacris accessit gloria rebus,
 12 quam poteris titulis accumulare tuis.
 13 Eia age, frange moras ; nam nec violenta movebis
 14 proelia, natura non fugiente necem.
 15 Sponte sua venient ; venient non forte vocati
 16 quos aluit reges unica nostra fides ;
 17 et transalpini venient sine munere reges
 18 atque duces quibus est oppida parva focus.
 19 Pauperis est animo fixum sua pignora Parthis
 20 vendere et uxorem, si qua pudica manet.
 21 Cum caput in terris, tua cum sit prima voluntas,
 22 ipse quid exspectas ? Erige signa crucis !
 23 Quanta mala eriperes ! Et quanta strage careret
 24 nostra fides ! Quanto stercore munda foret !
 25 Nam quae cruda solent immittere bella fideles,
 26 ultrices vertes ad tua signa manus.
 27 Pax tranquilla tuos fidos sine fine tenebit,
 28 unde tibi aeternum nomen adesse potest.
 29 Tunc tibi, dive pater, divina poemata nectam
 30 cantaboque pari proelia justa pede
 31 et simul heroes et regia bella ducesque,
 32 si fuerit mores turma secuta tuos.
 33 Fama perennis erit cunctis tua castra secutis ;
 34 numine namque tuo splendida semper erit.

AD DEUM OMNIUM RERUM OPIFICEM SUMMUM, UT AB AEGRITUDINE IPSUM LIBERET
 ET TEMPUS PAENITENTIAE CONCEDAT

C_29 v.1 Summe opifex, aeterne Deus mundique creator,
 2 incommutabili qui ordine cuncta regis
 3 praeter vota hominum, quibus est sua tota voluntas
 4 libera, quae nullo vimine nexa manet,
 5 arbitrii libertatem veram puto causam
 6 totius esse mali, totius esse boni.
 7 Hinc video horrendas poenas tolerare nocentes,
 8 hinc bona quaeque suum concomitantur opus.
 9 Si sic, peccandi quibus est ablata potestas ?
 10 Humano arbitrio subdita semper erit.
 11 Deliqui, fateor, nec me peccasse negabo ;
 12 indulgere tuum est, sed cecidisse meum.

13 Ipse meas tuque ipse tuas agitemus utrasque
14 partes : tu clemens, ipse beatus ero.
15 Esse Deum decuit, docuit clementia patrem
16 esse, inclementem non decet esse Deum.
17 Philosophi primam causam dixere moventem
18 omnia posse nisi falsaque vera simul ;
19 nil mixti, nil compositi, nil materialis,
20 sed sine mensura cuncta tenere bona ;
21 vivere praeterea, qua nec praestantior ulla
22 vita nec posset quis meliore frui.
23 Assentire placet, fidei non ista repugnant ;
24 assensi postquam, non ea sola juvant.
25 Adde quod, humana fracta compagine, quidam
26 compositum totum morte perire tenent ;
27 quidam animam, quidam corpus consurgere, utrumque
28 quidam, alii neutrum sed velut una mori.
29 Haec fugienda mihi praeter consurgere utrumque
30 pugnant cum nostra verba sonora fide.
31 Multa canunt vates sancta et cecinere prophetae :
32 exstant naturae dicta superba nimis.
33 Ite procul, vates, procul hinc vos ite, prophetae,
34 Tartara nam vinctos vos tenuere diu.
35 Peccarunt primi qui nos genuere parentes,
36 tam subito manibus membra creata tuis.
37 Adde quod humana melior natura superbi
38 Luciferi e caelo decidit ima petens.
39 Errarunt sancti patres, cecidere eremitae
40 immaculati annos per quadraginta prius ;
41 quamquam diva canant, jam deliquere prophetae.
42 Occidere homines unus et alter item :
43 clamque viro uxorem rapuit, jubet inde maritum
44 ire aciem ad primam perniciemque suam ;
45 alter quem necuit sicca sepelivit arena,
46 fugit et atrocem, dira ferendo, necem.
47 A cujus facie ille fugit ? Mandata refutat
48 cujus ? Et ad Tarsos quo prohibente fugit ?
49 Hic freta conscendit, putat hic evadere frustra ;
50 carpit iter : velo et remige tutus erit ?
51 Nam salis intumescere undae fluctuque procella
52 et nimbo atque imbri pellitur ipsa rates.
53 Naufragium timuere omnes dum causa latebat ;
54 viva freto jacitur sarcina iniqua rati ;
55 torrentem superare suis qui viribus audet
56 mergitur, a multa saepe repulsus aqua.
57 In mare projectum sorbes, balena, ciboque
58 laeta manes ; vivas non coquis ipsa dapes,
59 speque cibi fueras cum tu fraudata, putabas
60 pasci et cras pastus vivaque cymba seni.
61 Tresque dies mirum gravida quod vixit in alvo,
62 sed magis hunc stomachum posse nutrire cibum.
63 Tertia cum rutilans ad nos aurora redibit,
64 ad litus venies tunc vomitura virum.
65 Evomitus Ninivem venit, intrat, moenia lustrat ;
66 praedicat hos cita morte perire viros,
67 clamitat atque : "Dei ira est subversura nocentes
68 urbem, delicias et pecus omne simul,

69 ni vos paeniteat scelerum ; jejunia servent
70 usque ad oves, carnem pallia dura tegant."
71 Egrediturque urbem ne, si subvertitur, illum
72 ipsum hiet ; ast hederæ tutior umbra sibi.
73 Meque coquente aestu tenuit ? Sat tectus ab illa ?
74 Non concessa basis nec mihi cuspis erat !
75 Debuerat cuicumque aegro et si non morituro
76 se præbere hilarem se facilemque mihi.
77 Fastidit : vomerem citius quam sorbere vellem ;
78 fastidit : stomacho nausea facta meo.
79 Non mirum si illum vomuit testudo, sed illum
80 quod potuit ternos ventre tenere dies.
81 Ipse tibi invideo ; poenas pro crimine mallet
82 sæpe dedisse tuas quam tolerasse meas.
83 Integer atque propheta aliis prædicere casus
84 missus es ; in nostros pellimur ire rogos.
85 Si medias jactus tumidas proclivis in undas
86 decidis, in primis labor et inde cremor.
87 Tris te ventre dies servat testudo sepultum ;
88 ipse annos totidem febribus ustus humor.
89 Solibus aestivis hederæ protectus ab umbra es,
90 quæ mihi non solum, sed prohibentur aquæ.
91 Jamque vale, ingredior nunc portas quam fugis urbis
92 inveniamque umbram et qui mihi tecta dabit.
93 Non poterit Ninivita meos spectare dolores
94 nec poterit fletus ipse tenere suos.
95 Tu siccis oculis, tu cruda mente videbas,
96 nec lacrimis siccae commaduere genæ.
97 Est gravior mihi poena meis ex carnibus esse
98 et saccum et cinerem et graviora pati ;
99 est rugata cutis saccis et durior illis
100 quos Ninivita humeros induit atque latus ;
101 nec mihi deficiunt cineres : cum scalpere pellem
102 incipio, multus decidit ungue cinis.
103 Est consumpta dies longisque ambagibus acta ;
104 pauperis ex hedera regia tecta peto.
105 Quam cito mutata est lacrimis superbia regis !
106 Ira remollita est, quæ prius acris erat.
107 Scivi equidem et menti nulla est oblivio, cui jam est
108 posse datum vita per tria lustra frui.
109 Quisquis es, o nimium plorasti ultroque dedisti
110 mitem animum, unde Dei lenior ira venit.
111 Non me animo miti superas nec fletibus ullis,
112 sed regno atque opibus divitiisque tuis.
113 Consueram lacrimas nullas perfundere, sive
114 mortua mater erat, vel meus ipse pater ;
115 unde sit admiror mihi nunc data copia flendi :
116 non nisi sunt lacrimis lumina plena meis.
117 Deposta enixas pecudes tu sceptra tenebis,
118 speluncam fugies quæ tibi vita fuit.
119 Persequitur si te validum regemque futurum
120 rex ferus, hospitia ac atria tutus habes.
121 Rure, foco, patria, templis et flumine, villis
122 aeger et extorris pellor et exul agor.
123 Exilium patria ampla foret : nam figere sedem
124 concessum, necubi spes datur ulla mihi.

125 Psallentis cithara vox exaudita ; reflentis
 126 plorantisque mei bucina surda gemit.
 127 Quid referam cunctos primaeva ab origine, cum sint
 128 ausi omnes vitam commaculare suam ?
 129 Ipse ad me redeo peregrinaque crimina curae
 130 sint aliis ; nostrum discutiatur onus.
 131 Si scelera admisi me damnatura nocentem,
 132 si struxere meam Tartara nigra domum,
 133 audi quae patior Stygias superantia poenas
 134 tormenta : et tauri est aerea poena levis.
 135 Ipse bis undenos steteram sanissimus annos ;
 136 nescio nostra salus cui invidiosa fuit.
 137 Non potuit plus mula meos quam rumpere renes,
 138 turbidus argilla dum fluit amnis aqua.
 139 Haud sibi consueto saltu vada prosilit uno,
 140 quae volucer pedibus nullus adiret equus,
 141 unde fui e tota sublatus circiter ulnam
 142 sede ; repercussae condoluere nates.
 143 Nox media aestivis dum solibus alta teneret,
 144 frigidus excussit percita membra tremor
 145 successitque calor febrilis, sanguinis uber
 146 mixtus ; magnus erat pectinis inde dolor.
 147 Hic calor accensus crescit, desiccatur et urit ;
 148 extenuat carnes et coquit ardor hepar ;
 149 diminuit vires per venas fusus in omne
 150 corpus et assidue me cruciare solet.
 151 Nec requies datur ulla mihi, nec somnus amicus ;
 152 lis est cum somno magna labore meo.
 153 Ipse animo lassus quotiens mea membra quieti
 154 commendo, requies ac si inimica fugit.
 155 Est mihi cum somno bellum ; pax nulla futura ;
 156 si innocuus fugit et si nociturus adest.
 157 Claudio vigil quotiens oculos, phantasmata terrent
 158 pallida et atra caput, squalida et hirta comas,
 159 per varios conficta modos variasque figuras,
 160 manibus ut Furias velle nocere putes.
 161 Tragelaphos centum, hircocervos atque Chimaeras
 162 harum, quae apparent, una figura gerit.
 163 Adde quod in Cancro sol ferventissimus exstat,
 164 miscuit et vires fervidus ipse Canis ;
 165 praeteriitque gradus omnes et corda Leonis
 166 cernebatque suus Virginis ora rubor ;
 167 et lances geminas aequali pondere Librae
 168 intravit, quamvis non sua tecta forent.
 169 Sol, focus et ventus, febris, phantasmata vexant ;
 170 cuncta simul nobis agglomerata nocent.
 171 Unus Sole satus si orbem combussit et astra,
 172 huic tot conjunctis ustio major erat.
 173 Circumsaepta domus longo certamine ab igne
 174 et flammis validis exstitit ustus ager.
 175 Pro zephyro molli regnabat turbidus auster,
 176 ut gelidae exstiterit percalefactor aquae ;
 177 unde inspiratus tam primum expellitur aer,
 178 quam primum calidi limina cordis adit.
 179 Non sunt de numero, quae torquent accipientem,
 180 pharmaca amara nimis linguaque fissa siti

181 ah volui quotiens ardentem extinguere febrem !
182 Ustio poscit aquam, lingua crepata fugit.
183 Interea exurit, depasta est pessima corpus
184 febris ; parvum olei nostra lucerna tenet.
185 Arida facta cutis ; sunt haec exusta medullis
186 ossa ; caro fluxit ; spiritus unus inest
187 artubus exustis ; mirum est ex corpore toto
188 unde fluit sudor nabilis instar aquae.
189 Indefessa meum torquent haec omnia corpus ;
190 majus supplicium est tot mala ferre simul.
191 Non possem graviora pati si Tartara adirem ;
192 si natura hominis limite clausa suo est,
193 ad flagrum mihi cuncta manent ; haec aspera vitam
194 prosternunt, sanctis vix toleranda viris.
195 Tartarus a multis et subterraneus orbis
196 in centro terrae creditur esse locus ;
197 credo super terram, patior cum vulnere poenam,
198 aut sine cur subter Tartara opaca fore.
199 Sorte mea si forte ratum vel fixa voluntas
200 te mihi supremam constituisse piram,
201 ante obitum concede, precor, tam poplite flexo
202 quam capite obstipo, numen adire meum.
203 Me ad steriles artes et barbara regna tenentem
204 atque rebellem hominem forsitan esse putas ?
205 Hic virtute puer, cum pubertate virebat,
206 virque, senex fidus nunc tibi semper erit.
207 Hunc ego, tu nosti melius, qui totius orbis
208 imperium mavis quod regat omne tuum.
209 Romam habitat, quem tota cohors regumque ducumque
210 Caesareumque colit supplice voce caput.
211 Multa loquenda tacens et plura tacenda locutus
212 si fuerim, quae scis praetereunda loquor.
213 Quid memoro poenam, qua non violentior ulla
214 scitur posse dari nec truculenta magis ?
215 Si e medio tollar non viso numine nostro,
216 nil mihi sub terra saevius esse potest.
217 Visa mihi totiens sunt infera regna deque
218 Tartarei et quid agant : est mihi tota cohors.
219 Pro nihilo facio quod sub tellure timetur ;
220 assueto flagris sunt leviora mihi.
221 Tartareusque canis, superas extractus ad auras,
222 venit et extimuit meque meamque manum,
223 et Furiae infernae me cognovere furentem,
224 et mirata meum dira Chimaera caput.
225 Sed si morte mea caelestia regna darentur,
226 illa secunda mihi, non mihi grata forent.
227 Non repetam quae dicta prius, sed nulla viarum
228 quas cecini, nostrae causa salutis erit.
229 Haec commenta abeant, quae non fecere beatos,
230 aeternam quae non perdocuere domum.
231 Tunc genus humanum fusca sub nube latebant
232 mysteria, et clara luce carebat idem.
233 Sumpsisti postquam nostro de stamine pellem
234 et Deus ex diva Virgine natus homo es,
235 occultae patuere fores et gloria caeli,
236 et, quae ignota prius, nunc manifesta via est.

237 Humanum genus exsiliens praecepta redemptum est
 238 sanguine, velle, cruce et morte tui Geniti.
 239 Gutta nec effusa est pro nobis sanguinis una ?
 240 Sub specie humana denegor unus homo ?
 241 Quot rediere mali, cunctis tua brachia pandis ;
 242 qui rediere ad te, nulla repulsa datur.
 243 Accinctus venio ; deliqui, paenitet ; arma
 244 non aliena fero, si meliora tua.
 245 Si miserere hominum libeat, si parcere lapsis
 246 non pigeat, redeant si ad tua tecta velis,
 247 Pater omnipotens, cujus clementia fines
 248 exiit et nullo limite clausa fuit,
 249 contrito da corde meos plorare reatus,
 250 exaudi fundo, quas sine fine, preces ;
 251 da spatium vitae, quod crimina delet et quo
 252 me pudeat sceleris, me juvet atque mori.
 253 Oro post tantas ne mors suprema sequatur ;
 254 quam mereor noli plectere morte virum.
 255 Si moriar, spes nulla meae nec causa salutis :
 256 fata sinunt homines ire, redire negant.
 257 Mors mea justa quidem ; non est mea causa querelae
 258 justa quidem ; nec ob id justior esse potes.
 259 Noli obitum horrendum nostrae mortemque animai ;
 260 intereant nulla membra caduca nece.
 261 Non est artificis partes conjungere et illas
 262 frangere et ejusdem rumpere facta manu.

ORATIO EXAUDITA ET MODUS CURATIONIS AD NICOLAUM PAPAM V

C_30 v.1 Annuit Omnipotens ; vox exaudita precesque,
 2 et dixit tenui talia verba sono :
 3 "Archigenes Terrana, veni ; praebeto salutem :
 4 Marrasium nulla morte perire volo."
 5 Archigenes, tacto pulsu ac urina revisa,
 6 praecipit : "Abstineas, ne moriari, cave.
 7 Intensa est febris, diffusum cauma per omne
 8 corpus, et in noctem nulla futura quies.
 9 Incidenda hepatis vena est, ut sanguis acutus
 10 exsiliat, febris bulliat utque minus.
 11 Hordea cocta cibus, sint lympha et succara potus ;
 12 sit medio horarum quattuor acta mora."
 13 Haec mihi, cognatis et cunctis sanguine junctis
 14 et toti populo quam manifesta facit.
 15 Postquam abiit, famuli praecingunt se ordine dicto ;
 16 non ventosa ferunt hordea cocta mihi.
 17 Nescius aeger erat famulus purique Falerni
 18 praecupidus, farris nullius estor erat.
 19 Interea dum haustus eram mea pocula, junxit
 20 et risit rauce verba tacenda loquens :
 21 "Archigenes aufert jumentis hordea, nobis
 22 donat ; amatque merum, vix mihi praestat aquam.
 23 Dulcia vina bibit, succos propinat amaros ;
 24 estque cibos suaves, praebet inesibiles."
 25 Arguit aegrotus medicos, bene rectus ab illis
 26 si non concedant quae nocitura forent.

27 Archigenes praecepta dabit : parere necesse est ;
 28 nolenti mors aut tarda futura salus.
 29 Rejiciunt doctos quibus est gula tota voluptas ;
 30 cessuros votis saepe vocare solent.
 31 Ille inter medicos solitus ditescere, qui scit
 32 blandiri aegrotis et dare grata suis.
 33 Sancte pater, ride ; delectant carmina risu
 34 digna ; prius risit verba legenda Deus,
 35 et pepulit mortem instantem vitaeque pepercit :
 36 pulsa febre fuit reddita prima salus.

ELEGIA AD NICOLAUM PAPAM V : QUOT MALA PESTIS ET QUARTANA HABENT.

C_31 v.1 Quam timui fugiendo putans evadere mortem,
 2 interrupit iter pestis iniqua meum ;
 3 pessima me ad canos et multa pericula traxit,
 4 mille meis oculis obtulit illa neces ;
 5 praestabatque mori quam vitam saepe tueri
 6 mortibus innumeris pestiferisque modis.
 7 Nupta ter octavos nondum compleverat annos
 8 et prima infelix peste perempta fuit.
 9 Postridie ejusdem media sub nocte sepultus
 10 indolis egregiae frater amatus humi.
 11 Hausit putrem animam, dum viveret ille, sororis ;
 12 se comitem vita praebuit atque nece.
 13 Expulsus subito ipse fui patriaque domoque ;
 14 oppida cuncta suis me pepulere focus.
 15 Vix iter in campis, ubi templum sorte repertum est,
 16 grata quies : nullum mel sine felle fuit.
 17 Mortua nata mihi caruit cruce, morte sacerdos
 18 nullus, sed servus est tumulata meis.
 19 Et famuli exstincti veluti jumenta per agros ;
 20 alterius moriens triste cadaver humat.
 21 Maurus, quem nigro pinxit natura colore,
 22 alterius comitis guttura nigra secat.
 23 Disparibus causis nostra periere ruina :
 24 perditus iste nece, perditus ille fuga.
 25 Rumor it, incursat plebs convicina repente :
 26 armati expellunt meque meamque domum.
 27 Hic morbus sanos facit insanire, timentes
 28 audaces mitem belligerumque facit.
 29 Nam mihi poscenti nummis panemque roganti
 30 et quae vera sitis postulat atque fames
 31 ostendunt latices, lapides pro pane rotundos
 32 jactant ut ficus castaneasque pira ;
 33 saxa volant et saxa legunt et saxa ministrant :
 34 qui salebrosus erat fit via plana locus.
 35 Cornipedis levitas mihi grata et calcar amicum
 36 et fuga pervolucris vita cibusque fuit.
 37 Praesentantque oculis adversa haec omnia mortes
 38 mille nec occidunt, sed cruciari volunt.
 39 Vita fatigata est homines peritura cadentes,
 40 aut dormire velis aut vigilare velis.
 41 Somnus, si quis erat (nam nos dormire necesse est),
 42 somnia, si qua aderant, plena timoris erant ;

43 et quota pars noctis fessos submittit ocellos,
 44 digna quies odio facta labore meo est.
 45 Non mirum : timui. Sed quis non ista timeret ?
 46 Sed timor ille minor, credere quippe mori.
 47 Cetera praetereo, quae sanctis dura fuissent ;
 48 si ad mentem redeunt, concutit ossa tremor.
 49 Quicquid erat, discrimen erat : mea vita periculum,
 50 vivere supplicium deliciaeque mori.
 51 Nam me per geminos febres habuere decembres :
 52 his quartana malis addita pigra fuit.
 53 Si deses, si tarda venit, si denique fallax,
 54 vicini insultus praevia signa gerit.
 55 Incurvare solet quae primo brachia tendit,
 56 verberat et dorsum fractio longa meum.
 57 Concutit inde tremor nostros sine viribus artus
 58 atque molas strepitus fortis in arma vocat
 59 dentatasque acies curvatis cornibus ambas
 60 alteram in alterutram bella movere facit.
 61 Irruit ima cohors superamque impellere visa
 62 dentem unum ex superis in duo frustra scidit.
 63 Nec tantum posset crepitare ciconia rostro
 64 ad nidum, teneras quando salutat aves,
 65 quantum ego, concussis geminas dum saepe per horas
 66 dentibus infringor, vexor et inde, meis.
 67 Nonne vides ? Febris littoribus haec dominatur ;
 68 tortores tantos nulla tyrannis habet.
 69 Somnus hebes, clamosa sitis vomitusque, labores
 70 in somnisque tremor me cruciando premunt ;
 71 me quacumque die quarta afflixere : per horas
 72 quadraginta latex non datur atque cibus.
 73 Nonne alios longe melius curare fuisset ?
 74 Nam mihi nunc auro plena crumena foret.
 75 Scire quid est morbus medicos juvat et cibatur ; omnes
 76 morbum ferre nocet, carne cibatur aegri.
 77 Adde quod insanis nec delectaris amico
 78 eloquio ut quando, sed taciturnus abis ;
 79 adde quod insanis et sunt odiosa petenti
 80 cuncta tibi et nullae complacere dapes,
 81 optatumque merum veniens ex montibus altis
 82 vallibus aut imis respuis atque fugis.
 83 Altilis ova mihi meliora recentia sunt,
 84 quae vetula et pinguis parturit atque cubat,
 85 quam superincumbens commotis fortiter alis
 86 calcasti pedibus, galle marite, tuis.
 87 Dura nocent quocumque modo, sed mollia prosunt,
 88 sive patella coquat seu coquat ardor aquae.
 89 Ambrosiae succo atque aliis bene olentibus herbis
 90 mixta nihil sapiunt foeda sapore meo.
 91 Dulcis fastidit me Ponticus acus acutus :
 92 insipidus, salsus, pinguis, amarus obest.
 93 Mortua nunc virtus, ablata potentia edendi,
 94 quae placidos etiam respuit ore cibos.
 95 Quadrupede et bipede est melioris carnis edendae
 96 francolina volans, sed mihi grata parum.
 97 Assa nocent nec frixa juvant, sed cocta lebetes
 98 profectura mihi sumere lingua timet.

99 Si qua tenella caro peditantis sive volantis,
 100 si qua natat pelago, flumine sive lacu,
 101 sive ubicumque velis mixtim terraque marique,
 102 mixta sapore alio sive sapore suo,
 103 crate, veru aut patina vel si bene cocta lebete,
 104 si prodesse mihi, nulla placere potest.
 105 Fercula nulla salem possunt sufferre nec ulla
 106 jura, sed evomito sorpta vitella sale.
 107 Quo placuit condire epulas terrebar aceto
 108 et quo non poterat mensa vacare mea.
 109 Putet munda Ceres, terret me Bacchus in auro
 110 aut vitro et necubi posse videre datur.
 111 Partes quasque meas oris sensisset olentes
 112 cujus odoratus debilis ille foret.
 113 Et me pertaesum fuit olfecisse culinae
 114 nidorem, quamvis fercula lauta forent.
 115 Juxta meos oculos jam scintillare videtur
 116 littera ; si qua trium, quattuor esse pedum.
 117 Ipse opulentus eram, plura et majora videbam ;
 118 divitias istas hostis habere queat.
 119 Saepe procul melius vidi spectare senectam
 120 quam prope, qua melius sana juventa videt.
 121 Spiritus est senibus grossus paucusque videndi,
 122 subtilem possunt reddere visa procul.
 123 Quid vagor alterius citius numerando labores
 124 et taceo ipse meos, quos recitare grave est ?
 125 Quod sibi longa dies, quod multa aboleverat aetas,
 126 id mihi subtraxit morbus acerbus idem.
 127 Alba recocta suo privantur vitra colore
 128 et revoluta suo vina sapore carent.
 129 Saepe infelicem torquebat sibilus aurae,
 130 saepe means tonitrus, saepe refluxus aquae.
 131 Tinnitu surdaster eram noctuque dieque ;
 132 frigida hirundo meis auribus alta canit.
 133 Os natura meum armavit triginta duobus
 134 ossibus, officio quae caruere suo.
 135 Non mordere valent nec quicquam findere morsu
 136 aut molere aut ulla stringere parte cibos.
 137 Ossa aliena meis visum est mihi ferre labellis
 138 infixata ; et nullum robur habere queunt.
 139 Rectius ista leget bili percisus ab atra
 140 aut cui quarta dies febre molesta fuit.
 141 Captus ab indomita quartana mense novembri
 142 ipse fui prima praetereunte die.
 143 Expleturus erat sextam tum mensis aprilis
 144 supremamque diem qua sine febre fui,
 145 quando resurrexit qui nos a morte redemit :
 146 surrexi a morbo protinus ipse meo.
 147 Me thalamo tenuisset hebes quartana jacentem
 148 sex menses, totidem nos adeundo dies.
 149 Longior hora die, jam lux extentior anno ;
 150 unum habuit pestis, febris acerba duos.
 151 Sic sterilis mea vita fuit, sic tempus inane
 152 lapsum dic melius : mortua vita fuit.
 153 Tris hiemes avido mihi defluxere ; volebam,
 154 non merui, sanctos pronus adire pedes.

155 Quando erit ut possim nostros deflere reatus,
 156 Pontificis summi cum dabo labra pedi ?
 157 Interdicta mihi Romana est semita, Campus
 158 Martius, Esquiliae, Numen adire tuum ?
 159 Non hiemare datur Romae, aut audire cicadas
 160 sive videre rosas, aut nova musta bibi ?
 161 Si mihi fata dabunt faciem vultumque videre
 162 laeta tuum et sacros cernuus ante pedes
 163 oscula ferre tuos et tete audire loquentem,
 164 polliceor templis munera lauta tuis.
 165 Quid magis optandum ? Nihil est quod gratius esset,
 166 nil mihi sub caelo sanctius esse potest.

TRANSFRETATIO COEPTA PANHORMI, ABSOLUTA PUTEOLI DECIMO KALENDAS MARTIAS,
 UBI CONTINENTUR LAUDES ALFONSI REGIS MAGNI

C_32 v.1 Regia me postquam suscepit celsa triremis,
 2 cui bellaturae Lipparis arma tulit
 3 (quae tunc est nostrum vectura in proelia regem,
 4 cum petet Eoos regna beata Syros ;
 5 quam superare potest, dum pandit carbasa ventis,
 6 qua melius pelagus nulla carina secat),
 7 quam primum ascendi, venti adventare furentes
 8 adversi et pellunt aequor ad astra maris.
 9 Pons mihi securus fuit irretitus eundo
 10 et clausere meum pontus et eurus iter ;
 11 circius et boreas vastas fregere procellas,
 12 et cum saxa sonant, unda refracta cadit ;
 13 circumsaepa fremit quam multa grandine et imbri,
 14 et tonitru et nimbis regio plena manet ;
 15 qui virides cingunt, veluti sua pergama, montes
 16 urbem, sunt tecti nocte sequente nive.
 17 Excelsi montes faciunt nos frendere, namque
 18 argentes sufflant frigora magna nives.
 19 Frigore vexati magnos percingimus ignes
 20 et colimus sacros quaeque caterva Lares.
 21 Africus atque notus sunt nisi evertere pontum
 22 et salsas dulces efficit imber aquas.
 23 Concitus atque ictus crebris conflictibus aer
 24 mugit ; adhuc resonant concava saxa metu.
 25 Interea optabam pulsus tot flatibus austrum,
 26 ut rectum et tutum prora secaret iter.
 27 Pulverea accumulata nimia caligine nubes ;
 28 expansis alis praecipitatus adest,
 29 qui mare, qui terras, qui totas turbidus undas
 30 vertit, et e fundo saltat arena salo ;
 31 irruit et duros nimio stridore rudentes
 32 concutit, et titubat tota triremis aqua.
 33 Hanc tamen in portu si navita crederet austro,
 34 vidisset superos versa carina deos.
 35 Sed postquam vires furibundus perdidit auster
 36 atque abiit pelago saevior ira sui,
 37 fit mare tranquillum, sunt venti circumeuntes,
 38 nulla quibus dubiis est adhibenda fides.
 39 Pacatum ventis magnum sulcavimus aequor

40 et velo et remis magna carina volat.
 41 Ustica nos tenuit, dum fit combustio Phoebes ;
 42 per geminos pisces Luna trahebat equos.
 43 Nocte sequente Africus nos est comitatus euntes
 44 et pariter validus nocte dieque notus,
 45 ingentesque maris montes transnavimus ; inde
 46 Cumaeos portus docta Sibylla tulit,
 47 et retulit foliis, veluti mos unicus illi est :
 48 "Credite, Lipparaei, prima triremis erit ;
 49 Neptuno et ventis haec praeceptura videtur,
 50 cum fuerit regis pondere pressa sui ;
 51 illa sibi fluctus remis supponet eunti
 52 et velo, reges supprimet alta reos.
 53 Quaestor adest, nummos potuit quot ferre ministrat,
 54 nec dubitat saevas mille subire neces ;
 55 Desus adest, Graffaeus item, qui puppe gubernant,
 56 qui vitam ventis opposuere suam,
 57 ut majestati sacrae servire deoque
 58 possint et numen jam coluere suum.
 59 Sed si forte alia majora oracla velitis,
 60 quae ponto et terris exiget iste deus,
 61 si quota pars orbis pedibus subjecta futura
 62 scire libet, primo sacra piate Deo."

LUCRETIAE PARTHENOPAEAE PUELLAE FORTUNATISSIMAE LAUDES
 PER MARRASIUM SICULUM PRO ALFONSO REGE MAGNO

C_33 v.1 Sanguinea sese Lucretia morte peremit
 2 et meruit casti corporis esse ducem.
 3 Caesaris Alfonsi si praegustasset amores,
 4 nulla cruore suo permaduisset humus ;
 5 nec tibi Tarquinio peregrina taberna fuisset
 6 hospitium, patria nec caruisset armis.
 7 Pulchrrior haec illa meliore a sanguine nata,
 8 quo primore fuit Caesare amata meo.
 9 Pulchra placet, sed casta juvat, quantoque pudica
 10 tanto crevit amor, principe digna suo.
 11 Ingenii vis magna sui, quam vincere reges
 12 non potuere : suo victus amore fuit.
 13 Non minus hac dignus quam digna Lucretia nostro
 14 rege fuit, nec eo dignior esse potest.
 15 Felicem voluere suam per saecula vitam
 16 fata, voluptates tot voluere suas.
 17 Quid magis optandum ? Quid plus concedere possent ?
 18 Fortunam pedibus supposuere suis.
 19 Diva puella, vale, magno et sub Caesare laeta
 20 degas ; sint vitae stamina longa tuae.

AD ALFONSUM REGEM MAGNUM

C_34 v.1 Regibus Odrysii munuscula ferre solebant ;
 2 Odrysiis reges munera magna dabant.
 3 Unusquisque suas partes habuere decentes :
 4 magna decent parvos, parvula dona deos.

5 Alanum donare canem qui vult, dare mavult
 6 non obscuri animi signa decora sui.
 7 Alanum si dono canem tibi, tradere malo
 8 ipse animi ingenui pignora tuta mei.
 9 Saetigeros siquando sues hic dentibus ardens
 10 traxerit, esto memor pignoris ipse mei.

GRASSIAE HISPANI STRENUISSIMI EQUITIS INFAUSTA MORS.

C_35

v.1 Montibus Hispanis Romam descendit et, omni
 2 deleta macula corporis atque animae,
 3 Grassias validus Siculas discurrit ad oras ;
 4 cui non fratre frui, fata videre sinunt,
 5 praesulis Alfonsi frater dilectior inter
 6 quattuor et tali dignus amore fuit.
 7 Laetos quinque dies voluit fortuna videre
 8 atque omnes maestos pessima morte dies.
 9 Venatu leporum lustrata est vallis ; ovantes
 10 divertit cunctos sus ferus atque fugit.
 11 Cornipedem stimulat, quassans venabula dextra,
 12 primus Grassias insequiturque suem.
 13 Intrepidus pungebat equum, quo more solebat
 14 per medias acies ferro aperire vias.
 15 Fortis eques sonipesque primus cecidere ruentes
 16 saxa super lati fluminis alta parum.
 17 Stratus humi sonipes confractis dentibus ictu
 18 contremuit nequiens inde movere pedes.
 19 Ille repente cadit subitoque infringitur illi
 20 sinciput et lymphæ est sanguine rubra suo.
 21 Illum illum excipiunt famuli lacrimasque dolentes
 22 germano effundunt ; cogitat unus opem.
 23 Sollicitus praeses Regalis Montis in urbem
 24 cursores agiles ipse volare facit :
 25 praecipites veniant medici qui vulnera curent,
 26 docta manus quibus est ossa secare loco,
 27 expertusque senex, quo non prudentior alter
 28 natura et juvenis primus in arte fuit.
 29 Hi pellem cum carne secant atque ungue latentes
 30 fissuras nudant, ut resecare queant.
 31 Serra rotunda suos ubi fecerat undique gyros,
 32 ossibus extractis facta fenestra fuit,
 33 quae vomuit calidam ferventis sanguinis undam
 34 foedantem vultus, tempora et ora, suos.
 35 Panniculi duri facies est visa nigella,
 36 quae numquam roseo melle reducta fuit.
 37 Hoc animadverso atque aliis sine nube revisis,
 38 ex medicis primus talia verba tulit :
 39 "Assidua cum febre rigor stridorque molaris,
 40 mollities lateris panniculusque niger
 41 vulneribus magnis capitis, sua cruda labella
 42 cum fuerint, refero proxima signa neci.
 43 Hactenus ocului germani fratris amati
 44 mortem, nec volui flere reflere tuum.
 45 Non opus est medicis sed pallinctoribus atris :
 46 haec tibi sint curae sacra, colossus honos.

47 Septima lux clari germani claudet ocellos,
 48 exstinctura suos, gaudia et arma, jocos."
 49 Praecipit exsequias, fraternum funus honorat
 50 Alfonsus magnis sumptibus et precibus.
 51 Ardent innumerae taedae, stant lumina circum
 52 cerea, quae magno principe digna forent.
 53 Et luctu et planctu cuncti flevere gementes
 54 et veras lacrimas fundere quisque potest.
 55 Illi morte nihil, vita nil defuit illi ;
 56 defuit hoc unum, vivere, morte sua.
 57 Magnificus sumptus medicis non defuit atque
 58 magna sepulturae gloria honorque fuit.
 59 Eripuit validam mors immatura juventam ;
 60 caelum animam, corpus regia busta tenent.

AD PRAESTANTISSIMUM VIRUM DOMINUM ALFONSUM MONTIS REGALIS PRAESULEM.

C_36 v.1 Desidia affectum non me culpare licebit ;
 2 quartana oppressum dicere quisque potest.
 3 Desidia affectum non me admirabere, namque
 4 causa mei reditus tardior ipsa fuit.
 5 Me thalamo tenuisset hebes quartana jacentem
 6 sex menses, totidem nos adeundo dies.
 7 Nunc ego praecipiti veniam, sine tempora, penna,
 8 nam velo et remis nostra carina volat.
 9 Grassiae infaustam volui describere mortem,
 10 ut tibi pergratum collibitumque fuit,
 11 interitumque suum placuit flevisse ; triumphum
 12 scribere spero tuum et si qua trophaea manent.

GRASSIAE HISPANI STRENUISSIMI EQUITIS EPITAPHIUM

C_37 v.1 Montibus Hispanis Romam descendit et, omni
 2 deleta macula corporis atque animae,
 3 Grassias validus Siculas discurrit ad oras :
 4 germanum et sedem fata videre sinunt.
 5 Quinque dies risit fortuna, invidit honori :
 6 cornipedis casu fortis ad ima ruit.
 7 Scissa fronte suum plures videre cerebrum,
 8 unde obiit, vita nunc meliore fruens.

EPITAPHIUM EIUSDEM

C_38 v.1 Romae habita venia, Siculis allabatur oris
 2 Grassias ; fratrem fata videre sinunt.
 3 Impavidus stimulavit equum, quo more solebat
 4 per medios hostes ferro aperire vias,
 5 insequiturque suem quassans venabula dextra
 6 et sonipes cecidit et cadit altus eques.
 7 Eripuit validam mors immatura juventam ;
 8 caelum animam, corpus regia busta tenent.

EPITAPHIUM EIUSDEM

- C_39 v.1 Grassiam Hispanum mors accelerata vocavit :
 2 praesulis Alfonsi frater amatus erat.
 3 Romae habita venia, Siculis allabatur oris ;
 4 Germanum et sedem fata videre sinunt.
 5 Intrepidus stimulavit equum, quo more solebat
 6 per medias acies ferro aperire vias.
 7 Fortis eques sonipesque primus cecidere ruentes ;
 8 caelum animam, corpus regia busta tenent.

EPIGRAMMA PRO GALLINA NOSTRO EX COSINANO FONTE

- C_40 v.1 Pauca licet numero, dum sint victura per annos
 2 innumeros, certe carmina multa facis ;
 3 carmina nulla facis, quamvis tot milia fingas,
 4 si sint ad paucos interitura dies.

EPITAPHIUM DOMINI NICOLAI TUDISCI PANHORMI ANTISTITIS,
IURIS PONTIFICII PRINCIPIS

- C_41 v.1 Morte tua canon, leges et jura Quiritum
 2 occubuere : tibi contumulata jacent.
 3 Tu Nicolaus eras Tudisco a sanguine natus,
 4 Panhormi antistes, sed Cathinensis eras.
 5 Eugenio et Basilea concordi lite ruebat
 6 nostra fides ; steterat, te duce, concilium.
 7 Nominis et tituli cumulos et laudis adeptus,
 8 unde tuum texit rubra tiara caput.

TETRASTICON AD MARCUM DE GRANDIS

- C_42 v.1 Marce, tuum tristi praesta de "Tristibus", oro,
 2 Nasonem ; titulo non mihi compar opus.
 3 Lectio jucunda est et quicquid continet aptum
 4 et faciem atque oculos exhilarare meos.

SUBITUS INTERITUS PINAE PUELLAE PUDICISSIMAE

- C_43 v.1 Pina, protomedici conjunx et filia, morte
 2 interii subita, fulminis icta foco.
 3 Non me combussit, membris sed flamma pepercit :
 4 ista pudicitiae signa fuere meae.
 5 Petro Alisandro cum sim disjuncta marito,
 6 non doleo, vita cum meliore fruar.
 7 Te, pater Antoni, peto ; vir natiq̄ue valete
 8 quattuor ; ex utero nata puella vale.

AD AVANELLAM

- C_44 v.1 Tris concede, precor, fuerant hi quinque, libellos ;

2 quartana oppressus quaerito namque jocos.
 3 Ut cibus in longo placidus fastidit edentem
 4 usu, sic rarus saepe placere solet.

AD NICOLAUM PAPAM V

C_45 v.1 Edita quae teneris, sed non limata, vetustis
 2 annis non puduit scribere nostra manum,
 3 haec sunt, ut videas quando ingrata otia serpunt
 4 aut cum te fessum seria multa tenent.
 5 Ferrea vis nulli, nulli est sua ferrea cura,
 6 saepe etiam vincit ferrea cuncta labor.
 7 Si prodesse negant, se delectare fatentur
 8 atque animo lasso gaudia ferre tuo.
 9 Orbis habet quaecumque queunt prodesse volenti
 10 et mala, quae invito grandia saepe nocent.
 11 Quis poterit cunctos animi vitare labores ?
 12 Quis poterit nutu volvere cuncta suo ?
 13 Utile laetitiam, pariunt nocumenta dolores
 14 maestitiamque simul nocte dieque suam.
 15 Hos auferre potest festivus sermo, jocosum
 16 eloquium et si qua est lingua faceta valet.
 17 Dixero pace sua, non omnia seria caelo ;
 18 saepe etenim minimos gaudet habere deos.
 19 Utile quid caelo citharae resonantis amoenum
 20 permodulare sonum et thura Sabaea dare ?
 21 Quid prosint etiam fumosi thuris honores,
 22 pallia texta auro et murice tinctorum Deo ?
 23 Delectant pia thura focis levioribus usta
 24 et quae circumdat plurima gemma togam.
 25 Sed tu, qui superos omnis veneraris et ornas
 26 templa Dei et cunctis antelocanda jubes,
 27 cum te primum habeat divini cultus honoris,
 28 more suo placeat dicta jocosa cani.
 29 Psalterio aut cithara si quando propheta canebat,
 30 nonne Deus dixit : "Fila canora placent" ?
 31 Frangitur interdum, qui semper tenditur, arcus ;
 32 dextera tendentis fessa reperta fuit.
 33 Interdum requie ac interdum lassa labore
 34 perniciose suis membra fuere viris.
 35 Utitur alterno motu requieque decenti,
 36 qui sua sana modo pectora habere cupit.
 37 Laetatur ludique sua perdice, sed alter
 38 bellatorem opici scalpere muris ovat.
 39 Plurima habere petas, quae te jucunda salutant,
 40 cum solus curas totius orbis habes ;
 41 hinc muteta tuos illinc Perusina labores
 42 laetitia expellet, quando molesta subis.
 43 Hinc tua vis primo poterit compescere fluctus ;
 44 quid mea, quam nullum robur habere puto ?
 45 Diversas epulas gustusque oculusque requirunt ;
 46 saepe novella placent, saepe vetusta placent.
 47 Mitia poma solent prius immatura placere,
 48 dulcia vina probant, Pontica saepe probant.
 49 Cum variare velis, quae possunt tollere causas

50 langoris, nugas experiare meas.
 51 Ut cibus in longo placidus fastidit edentem
 52 usu, sic rarus saepe placere solet.
 53 Quandoque in pretio est lauta inter fercula blitus ;
 54 dulcius efficiunt altera vitra merum.

DOCTRINA CARMINUM ET VERSUUM, QUI TALI NOMINE NUNCUPARI MERENTUR,
AD NICOLAUM PAPAM V

C_46 v.1 Accipe primitias et delibamina quaedam
 2 temporis adversi quae meus annus habet.
 3 Insomnis intus febres agitare solebam
 4 carmina, quae somnum surripuere meum ;
 5 surreptumque suis sic infixere medullis,
 6 ut dormire magis quam vigilare velint.
 7 Si somno careant aegri, si languida volvunt
 8 membra toro et fessis vix datur ulla quies,
 9 carmina, quae tali sunt evigilata cubili,
 10 nescio si versus nomen habere queant ;
 11 si non illud habent, ea somnolenta vocentur,
 12 donec eis dabitur pervigilare nimis.
 13 Luciferi ante ortus experrectura cubantes
 14 carmina si fuerint, vivere posse puta ;
 15 si nequeunt vigilare neque expergiscitur ullus
 16 sensus acutus, hebes sed gravat illa sopor,
 17 torpida ad interitum ibunt perniciemque latentem
 18 sunt habitura, crocum aut dilacerata tegent.
 19 Carminibus cunctis non sat vigilare, sed illa
 20 morte silente decet sollicitare viros.
 21 Alliciant cantu pueros juvenesque senesque,
 22 nec pigeat cithara detenuisse deum.
 23 Taedeat illa tamen si non surrexerit ullus
 24 ante diem et mentem sollicitarit ovans.
 25 Talia ni fuerint, tinea rodentur et inde
 26 jam sunt ad paucos interitura dies.
 27 Illis vigilia est opus et mihi claudere ocellos,
 28 si quod honoratum nomen habere volunt.
 29 Lapsibus oppositis nos aegrotare videmur :
 30 haec perimit somnus, me vigilare nimis.
 31 Et pretiosa mihi medicina est morbus eorum ;
 32 qui mihi morbus obest est sibi tota salus.
 33 Una ope tu poteris binis succurrere morbis :
 34 aufer eis somnos, quos mihi cede, precor.
 35 Si mihi dulce, Pater, dulcem somnumque quietum
 36 aut si oculis nostris otia tuta dabis,
 37 incolumis qui te colit et tua numina adorat,
 38 ingenium et mores integra semper erunt.
 39 Grata quies oculos poterit submittere nostros.
 40 Versibus unde queat nomen adesse suum.
 41 Tunc potero cantare tuas per saecula laudes,
 42 et memor et gratus muneris ipse tui.

CYRIAQUE L'ANCONITAIN

le « père de l'archéologie »

Cyriaque di Pizzicoli naquit, vers 1392, à Ancône, un des ports les plus actifs et les plus prospères de l'Italie d'alors. D'une famille de négociants spécialisés dans le commerce « international », il entra lui-même dans la carrière de marchand voyageur. Animé par l'esprit de sa classe et de son époque, alliant l'esprit d'entreprise, le goût du risque et la soif de richesses, il se trouva mêlé aux grands événements de son temps, accomplissant des missions diplomatiques, des ambassades, côtoyant des gens importants : en 1438, il se trouvait au concile qui cherchait à mettre un terme au schisme gréco-latin ; en 1444, à Constantinople, il participa aux préparatifs d'une Croisade contre les Turcs, soucieux, pour sa part, de leur reprendre des marchés, mais aussi de préserver la vie du monde antique menacé par l'avance ottomane. N'étant pas un lettré - il n'a pas fréquenté les universités, savait médiocrement le latin et ne commença l'étude du grec ancien qu'à la quarantaine - c'est par ses voyages que fut éveillée sa curiosité pour les monuments du passé, et c'est sur le terrain, en copiant des inscriptions en Italie, que cet autodidacte acquit ses connaissances archéologiques et épigraphiques. Il conçut bientôt le projet de mettre par écrit tous les témoignages de l'Antiquité que ses pérégrinations lui feraient rencontrer : cela donna ses *Antiquarum rerum commentaria*, dont on n'a plus, hélas, que quelques fragments. Il continua de voyager pour ses affaires, mais profitait de chaque occasion pour dessiner les monuments qu'il apercevait et copier les inscriptions. On sait qu'il préparait scientifiquement ses périples : cartes, portulans, *Géographie* de Strabon, *Histoire naturelle* de Pline l'Ancien, étaient consultés avant chaque départ. De plus, sa bonne connaissance du grec moderne lui facilitait grandement la tâche.

En trois voyages (1434-1435, 144 et 147-1448), il visita à peu près toutes les régions de Grèce, y compris les îles, Délos en particulier. Dans ses vieux jours, il était obsédé par l'idée de l'agonie du monde antique, étouffé par l'étreinte ottomane ; il caressa même la chimère d'une possible résurrection, dont il serait l'un des agents : « C'est ma profession de ressusciter les morts des Enfers. J'ai appris cet art de la Pythie, oracle d'Apollon. », expliqua-t-il à un prêtre qui s'étonnait de le voir relever des épitaphes dans une église.